



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Tribvs Dagobertis Francorvm Regibvs Diatriba Godefridi Henschenii E Societate Iesv

Henschenius, Godefridus

Antverpiae, 1655

Liber Primvs. Dagobertvs I Rex Francorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9599

DE TRIBVS
 DAGOBERTIS
 FRANCORVM REGIBVS
 DIATRIBA
 GODEFRIDI HENSCHENII
 E SOCIETATE IESV.
 LIBER I.
 DAGOBERTVS I.



Quoniam eò præcipuè spectat nostra hæc
 commentatio, vt DAGOBERTVM II, S.
 Sigeberti Austrasiorum Regis filium,
 è tenebris, in quibus eum tot iam secu-
 lis iacere ingrata sustinuit posteritas, in
 lucem ac regnum paternum reuocemus; de DAGO-
 BERTO I illius auo priùs agendum. Nam huic multa,

A quæ

quæ nepotis erant, benefacta, insigniaque virtutum, scriptores tribuerunt. Vt quo fato olim, Francorum quorundam Procerum ambitione ac dolo, deportatus in Hiberniam est, eodem postea ex hominum memoriâ, ac multò etiam iniquiore, exturbatus videatur. Quod tamen fortassis non tam malitiâ æmulorum euenit, quàm posterioris ætatis turpissimâ inscitiâ: quâ factum, vt qui suas à DAGOBERTO Rege ædificatas Ecclesias fundataque monasteria legebant, cùm in Francorum, præcipuè Neustrasiorum, historiis, DAGOBERTI, illius aui, celebre nomen reperirent, eum esse fundatorem suum existimarint. Quo semel impliciti errore, partem magnam historiarum perturbauère, ac fortassis nonnumquam temporum notas diplomatis Regiis appositas corrigere, aut veriùs adulterare, ausi sunt: cùm istæ diplomatum subscriptiones, expressaque in iis tempora certissimam historiæ faciem præferant. Quam qui sequi negligit, in illam maximi Oratoris meritò reprehensionem incurret, vt non quidem re totâ, sed, quod maximum est, temporibus erret. Quæ eadem Cæsaris Baronij tomo 1. Annal. ad an. Christi 70 § 3 sententia est: *Ex quo videas, ait, quod sepius inculcamus, quantum conferat in rebus inuestigandis temporis ratio, sine quâ interdum labi in portentosos errores,*

errores, necesse sit. Eâ potissimum ratione modoque, ut sua DAGOBERTO Austrasio decora, quæ auo mendosè adscripta erant, redhibeantur, enitar. Non tamen rerum omnium, quæ gessit senior ille DAGOBERTVS, historiam pertexam, sed Chronologiam præcipuè eius temporis, quo Semptentrionalis primùm Austrasiæ, dein plurium etiam prouinciarum ad id regnum spectantium, postea Neustriæ quoque, ac demum totius Galliaë gubernacula tenuit, explicabo.

Epocha annorum ab ortu Christi, serius ad ordinandam Chronologiam adhibita. Priscis historiis inscienter à posteris inserta.



Historiæ neruus Chronologia est, siue temporum, quibus, quæ narrantur, res gestæ, explicatio. Hæc certis adstringi distinguique notis, minime obscuris, solet. Græci Olympiadas, Syri ac Palæstini post tempora Alexandri Magni annos regni Græcorum, Romani Urbis conditæ numerauêre: alia gentes alię lapsi temporis signa posuêre. Annos Christi nunc ad eum temporis computum adhibemus: eaque ratio confirmata iam vsu nouem seculorum, paulloq; ampliùs, prioribus etiam temporibus ad ipsum vsque Christi natalem aptatur, non absque maximis tamen difficultatibus. *Æram vulgarem, communemue Epocham* appellamus. Eius principium ducitur

ducitur à *Kalendis Ianuariis, C. Casare & L. Emilio Paulo Coss.* anno Iuliano XLVI, Urbis conditæ secundum computum Varronianum IOCC.LIV. quem qui præcedit annus Christi incarnatione ac natiuitate vulgò illustris habetur. Hanc Epocham Baronius in Annalibus biennio præuertit, inchoatque *Augusto Casare XIII & M. Plautio Siluano*, & huic suffecto *C. Caninio Gallo, Coss.* anno Iuliano XLIV, Urbis conditæ IOCC.LII. Ne tamen perpetuò in contextu Annalium à vulgari calculo diffideret, in eorum progressu annos sex imperij Probi ad quadriennium contraxit, & duo paria Consulum alibi prætermisit. Hoc ergo Epochæ vulgaris initium, communi vsu receptum, retinendumque (ni perpetuò nos, ac præcipuè lectorem, in molestissimas conicere tricas velimus) quocumque demum anno natus fuerit Christus, seu qui Iulianum XLVI, vt diximus, immediatè præcessit, seu biennio antè, vt statuit Baronius, siue etiam quadriennio, vt Ioannes Deckerius ac Dionysius Petauus, aliique.

Verùm eâ Epochâ minimè vsi antiquiores: nec ferè, quæ manu exarata extant antiquissima Chronica, Eusebij, Hieronymi, Prosperi, aliorumque veterum, annos Christi adnotatos habent. Adscripti margini sunt à posteris, prout cuiusque captus erat. Quare alios exhibet editio Scaligeri, Pontaci alios, ac Miræi & ceterorum. Idatius certè dum priora illa Chronica continuat, admonet, *ne anni Olympiadum turbentur, se annum eundem scribere & Theodosij Magni vltimum & filiorum Arcadij & Honorij primum: silet de annis Christi, qui si in vsu tunc fuissent, æquè, ne turbarentur, cauere debuisset. Et verò si quam Christi Epocham statuissent Eusebius, Hieronymus, Prosper, Marcellinus Comes, ac reliqui veteres, à Christi baptismo ac prædicatione, aut passione siue resurrectione exorsi eam essent, vt ex eorum Chronicis*

Chronicis

nicis potest fieri coniectura. Quam Epocham à passione aut resurrectione ductam Gregorius Turonensis in Historiâ Francorum sub finem librorum 1, 3, & 10, Fredegarius in Historiâ Epitomata cap. 73, Victor Tunenensis in fine Chronici, Auctor Historiæ Francorum iussu Childebrandi Comitis scriptæ, & Chronico Fredegarij subnexæ, cap. 109, confundunt cum eâ, cuius à Christi natiuitate statui primordium debuisset, vt legenti perspicuum est. Quæ res clarè innuit, necdum illo tempore viguisse consuetudinem annos à Christi natiuitate aut incarnatione numerandi.

Quamobrem ad stabiliendam Regum Francorum Merouingicæ stirpis Chronologiam, superuacaneum est, ad annos ab Christi natiuitate numeratos recurrere, quando ea annos à Christi ortu computandi ratio in antiquis historiis ante seculum octauum minimè fuit vsitata. Quo primùm auctore inoleuerit, non proditur. Excogitârat eam olim, non vndequaue tamen huic, quâ modò vtimur, congruentem, Dionysius Abbas Romanus circiter annum 10xxv. Sanctus Presbyter Beda ferè antiquissimus est, qui ad annos Christi digessit Historiam gentis Anglorum: quam conscripsit, cùm Francis Carolus Martellus imperitabat. Ex eo tempore, præsertim sub huius filio Pippino ac nepote Carolo Magno, modus ille à Christo nato aut incarnato annos ordinandi præcipuè inualuit, vt passim exinde Regum Annales ita recensiti extant. Huiusmodi Annales vulgauit Andreas Chesnæus tomo II Scriptorum historiæ Francorum: qui finiuntur ad annum Christi, alij 10ccxc, alij 10ccc, quidam ad VI, VIII aut XIII sequentis seculi. quando proinde eorum auctores vixisse videntur. Hi autem necubi aberrarent, suos illos Annales auspiciati sunt ab vltimis Pippini Herstalli annis eiusque filij Caroli Martelli: circa quorum

tempora maior propterea auctorum consensus reperitur. Monachus S. Dionysij in gestis Dagoberti I & Aimoinus in Historiâ Francorum antiquorum, etsi iam longo recepta usu ea annorum à Christo nato computatio esset, tamen ne quos se in errores induerent, eos solùm adhibuerunt temporum characteres, quos à vetustissimis & cœuis scriptoribus signatos notarant.

Regino Abbas Prumiensis, qui circa annum Christi 1000 floruit, solùm posteriori Chronicorum libro, à morte Caroli Martelli, per Incarnationis Dominicæ annos, tempora Principum & gesta declarat: priore autem libro, omisis annis Christi, se nihilominus, quo tempore, quo loco, vel quid sub unoquoque Principe actum sit, summam demonstrare, sub finem eiusdem libri monet. Seriem verò annorum ab ortu Christi inchoatam libro primo deesse alius quispiam inconcinnum ratus, eos infarsit, adeò tamen confusè ac perturbatè, ut vacuum integri ferè seculi interuallum reperiatur. Nam sub finem libri illius, præfixo anno Dominicæ Incarnationis 1000, ista ponuntur: *Carolus Princeps x anno regni sui cum Baiuariis pugnavit. Anno xv contra Lantfridum dimicavit. Anno xvi Eudonem Ducem Aquitaniae prostravit. Anno xvii Saracenos expugnavit.* At liber secundus mox incipit ab obitu eiusdem Caroli Martelli his verbis: *Anno Dominicæ Incarnationis 1000 Carolus filius Pippini Maior-Domus & bellicosissimus Dux Francorum defunctus est.* En 1000 & ampliùs annorum spatium eidem adscriptum Martello, ac rebus gestis omnino inane. Quod quia perquam absurdum, non putamus in Reginonem cadere potuisse. Quare toto libro primo, annis Dominicæ Incarnationis deletis, singulos paragraphos ab Imperatoribus inchoandos arbitramur, hac ratione:

Mauricius regnavit annos xx.

Phocas

Phocas regnavit annos VIII.

Heraclius regnavit annos XXVI. & C.

Hoc ergo modo Epochâ temporis per Imperatorum successione[m] vtcumque indicatâ, quas res eo tempore variis locis gestas esse credidit, subiunxit: nec tamen absque mendis. Nam DAGOBERTII *Regis obitum*, qui contigit anno 1004 XLIV, ad *Imperium Iustiniani Rhinometi*, anno 1004 LXXXV inchoatum, distulit. Ast eiusdem Augusti Imperio præfixus *annus Dominicae Incarnationis* 1004 CXII, summam induxit rerum omnium perturbationem. Absurdius etiam illud, quod Iustiniani huius pater *Constantinus Pogonatus* XVII annos *regnasse* dicitur, præscribiturque eius Imperio *annus Dominicae Incarnationis* 1004 CV, ad decennium integrum exerrante ratiocinio. Illos autem *annos Dominicae Incarnationis* iam ab aliquot seculis appositos fuisse persuadent tum antiqui codices MSS. tum editi omnes, in quibus eodem modo anni expressi.

Reginone paullo antiquior est Milo monachus ac Sacerdos Elnonensis, à cuius calamo dedimus VI Februarij Vitam S. Amandi Episcopi Traiectensis, carmine heroico libris quatuor scriptam: item Historias Translationis & Eleuationis corporis eiusdem sancti Antistitis, cum miraculo cerei cælitus accensi anno 1004 CCLV à se spectati. Hic *corpus illius* tradit pag. 888 & 891 *eleuatum anno* 1004 CCIX, eumque numerat *annum à transitu viri Dei Amandi centesimum quinquagesimum*; cum solum interfuerint anni CXXIV, menses VII & dies XIV, à VI Februarij scilicet anni 1004 LXXXIV, quo obiit, ad XX Septembris anni 1004 CCIX, quo corpus eius eleuatum fuisse diximus. Ita annis XXIV legitimam Chronologiam Milo anteuertit. Eundem aut consimilem errorem postea errarunt Chronologus Gandensis, Theodericus Abbas S. Trudonis,

Trudonis, Philippus Abbas Bonæ Spei, atque alij, qui seculo Christi XII in Belgio floruerunt. In Chronico Gandensi *annus Incarnationis Dominicae* DCX coniungitur cum anno DAGOBERGI XIV, quo Blandinium conditum traditur, quod factum anno DCXXXVI. S. Amandum, qui anno Theoderici Regis II, Christi DCCLXXXII, mense Aprili, testamentum suum signauit, scribunt Philippus Abbas aliique, vitam functum esse anno Christi DCCLXI. At Theodericus Abbas statuit S. Bauonem sub Rege Chlodoueo II uxorem duxisse, dein aliquot post annos Clericum ordinatum, tandem inclusum, ac biennio post mortuum, idque anno DCXXXI; cum Chlodoueus anno demum DCXXXVIII natus sit: sub quo S. Bauo anno DCCLVII vitam functus est. In his ergo similibusque auctoribus antiquis, DAGOBERGI, Chlodouei, Theoderici, aliorumque Regum character, expunctis Christi annis, ferè seruandus est. Quæ extat duplex S. Vedasti Episcopi Atrebatensis Vita, à nobis VI Februarij illustrata, indicat *annos Episcopatus eius quadraginta*, reticet annum mortis: quem *Æræ vulgaris DCCLXX* fuisse tradit posterior Vita, in Lectiones ad Matutinum recitari solitas in Breuiario Atrebatensi distributa. Eundem annum DCCLXX signant Sigebertus in Chronico, Baronius in Notationibus ad Martyrologium Romanum, aliique scriptores illustres: cum tamen S. Vedastum circa annum DCXL mortem obiisse certò constet ex dictis VI Februarij pag. 785.

In Galliâ interiore plurimæ Sanctorum Vitæ seculo Christi septimo conscriptæ sunt, earumque nonnullæ intrusis Christi annis postea interpolatæ. Ita infra ostendetur factum in Actis S. Wandregisili Abbatis Fontanellensis, & S. Ansberti Archiepiscopi Rotomagensis, in quibus ad Chronologiam rectè ordinandam, annos IX aut X addi necesse est.

est. Eodem modo auctor Vitæ S. Audoëni, qui circa an. Chr. nongentesimum videtur vixisse, ac dein Fridegodus Poëta, qui circa annum 1000000 metrico eam stylo vertit, appositis Christi annis. Epocham Regum Francorum ad XI aut XII annos præuenientes, Chronologiam interuertunt. Similia sæpe in opere nostro de Vitæ Sanctorum notata reperiet lector: nosque infra nonnulla attingemus. Quibus non accuratè obseruatis, plures è recentioribus historicis suos Annales ac Chronica neutiquam appositè digesserunt.

I I

Epocha veterum Francorum per annos Regum distincta; non Pontificum, Imperatorum externorum, aut Indictionum. Epocham eadem characteribus historicis in progenitoribus DAGOBERTI I firmata.

Non hîc disquirimus, quæ à variis nationibus, præter iam indicatas, olim Æra aut Epocham annorum adhibita fuerit. Antiquitatem historicam Francorum, quæ ad propositam quæstionem sola facit, spectamus. Hanc ab vetustioribus aliquot Chronicis auspicatur Chesnæus: è quorum auctoribus Idatius Olympiadas atque Imperatorum annos potissimum adnotauit. Prosper Aquitanus in Chronico priore, quod Petrus Pithœus olim edidit, solum annos Imperatorum exprimit: in altero verò Chronico, Eusebij & Hieronymi Chronicis subnecti solito, singulos an-

nos propriis Consulibus distinguit. Hoc Prosperi Chronicon excipit Marius Episcopus Auenticensis, qui initio solos Consules numerat, quibus à Maximo Consule, id est, anno Christi 10xxiii, adiungit Indictiones in antiquo Codice, qui apud nos extat. Gregorius Turonensis dum libro primo Historiæ Francorū atque initio secundi, tēpora ea pertractat, quibus Imperatores Romani rerum adhuc in Galliā potiebantur, res gestas, ad eorundem Imperatorum Epocham ordinatas, per sua tempora distribuit; recensitis etiam Consulibus Romanis, quos ad annum obitus S. Martini accuratiùs obseruatos repererat. Deinde verò, postquam Imperio Romano è Galliis eliminato, regnum ibidem Francorum stabilitum est, solùm suorum Regum annos obseruarunt, qui dein primi res Francicas litteris tradidēre, Gregorius idem, Fredegarius, Fortunatus, Audoēnus, Ursinus, aliique Vitarum Sanctorum scriptores coæui, eosque imitati monachus S. Dionysij in gestis DAGOBERGI I, & Aimoinus suprā memorati.

At Romano Imperio ad Carolum Magnum eiusque posteris delato, Franci cum nomine Imperatorum vsus Indictionum, quibus Romani assueuerant, etiam susceperunt, quas diplomata Ludouici Pij & sequentium Imperatorum passim exhibent. Posteriores ergo cum viderent historias, suorum maiorum temporibus conscriptas, & priorum Regum diplomata, hisce Imperatorum & Indictionum notis, velut insigni ornamento, carere, ipsi suo calculo, sæpe inepto, suppleuēre. Trithemius, cum appositis Indictionibus priorum Regum annos validè firmatum iri censeret, eas suæ chronotaxi aptauit. Ita in Historiā Francorum ab eo digestā, *anno Christi 10clxv, Indictione viii, DAGOBERTVS I è vitā excessit; & anno 10clxxxi, Indictione ix, Chlodoneus II:* idque

idque circiter xx annorum aberratione: quâ in compendio libri primi Annalium quadantenus emendatâ, mortuus dicitur DAGOBERTVS anno 10CXLV, *Indictione III*, & *Chlodoueus II anno 10CLXII, Indictione V*. Eadem ratione in aliis Regibus erratum ab eo aliisque. *Chlodoueus II* in Chronico Moiffiacensi post DAGOBERTI decessum, regnum patris adsciuit, anno ab Incarnatione 10CXLI, *Indictione IV*: moritur verò, regnavitque filius eius *Chlotharius pro eo*, anno ab Incarnatione Christi 10CLVIII, *Indictione II*. Quæ omnia, aliaque quàm plurima, licet *Indictionibus* additis videantur solidata, infra subruemus.

Facilius se error prodit in annis Pontificum Romanorum adscriptis, cum neque ea consuetudo facile probetur apud antiquiores scriptores usitata, & menda adeò enormia inspersa sint, ut auctoribus coævis nequeant attribui. S. Martinus Papa, qui Theodoro anno 10CXLVII vitâ functo successit, passim coniungitur cum DAGOBERTO I, qui anno 10CXLIV mortuus. Imò Chronici Gandensis Scriptorem annum XIV DAGOBERTI & V Martini Papæ in Christi 10CX coniecisse supra diximus.

Hanc ergo epocham Imperatorum, Pontificum, *Indictionum* in usu non habuere Franci veteres: sed Regum inuicem succedentium annis disuncta ad seculum Christi VIII discrimina temporum sunt. Quæ tamen *computandi ratio* ad *annum chronicalem*, uti Gregorius Turonensis infra producendus appellat, ab auctoribus refertur, atque initio à Kalendis Ianuarij aut Christi natiuitate sumpto, annis Iulianis cum Chronicis & Annalibus aliorum accommodatur. Quam ob rem aduertendum sedulo, qui usus auctorum sit; & an ad Kalendas Ianuarias, quæ initium regni præcedunt, an quæ illud proximè sequuntur, primum annum Regum conferant, maximè si regnare cœperint mensibus ab

vtroq; Ianuario lōgius difiunctis. Hinc follicitè Idatius monet, vt suprā diximus, fe annū eumdē scribere & *Theodofij Magni vltimū & filiorum Arcadij & Honorij primum.* estq; is annus Christi cccxcv *Olybrio & Probino Coss.* Quem annum Imperio Theodofij integrum relinquunt Proſper, Oroſius, Turonenſis, atque ab anno ſequenti imperium filiorum Arcadij & Honorij ordiuntur. Mortuus eſt fortaffis Theodofius, ſi coniectura non fallit, xvi Iulij: habuitq; de eo orationem S. Ambroſius xxiv Auguſti, in quā teſtatur *aſſiſtente ſacris altaribus Honorio Principe,* illius *obitum conclamatum eſſe,* iamq; *quadrageſimum diem celebratum,* quando *inhonorum adhuc honore tumuli corpus Conſtantinopolim tranſmittebatur:* cui tranſlationi impendendi ſuperfuerunt dies lxxv, nec plures diſtancia locorum poſtulat, ad viii vſque diem Nouembris, quando corpus, Arcadio iuſta paterno funeri ſolvente, Conſtantinopoli ſepultum fuiſſe tradit Socrates lib. 6 Hiſtor. Eccl. cap. 1. Apud hunc tamen, præter alia menda, quæ ad Vitam S. Sigeberti i Februarij pag. 215 notamus, vitioſè ſcriptum, obiſſe xvi Ianuarij. Iulij arbitror vel ſcripſiſſe eum, vel ſcribere debuſſe. Si quis tamen maius ſpatium temporis requirat, ad corpus Mediolano Conſtantinopolim deportandum, menſis per me licebit adiiciatur, dicaturq; ſub medium Iunij migratſe è vitâ. Ita & ratio conſtabit, cur Idatius annum eumdem & patris vltimum & primum filiorum ſtatuerit, quia dimidiâ parte anni vtriq; imperarint. Quibus autem magis Oroſij, Proſperi, Gregorij, totum eum annum patri aſſignantium, calculus probabitur, ij quoque credibiliùs vnâ nobiſcum ducent, vt ille ſexto aut etiam ſeptimo menſe deceſſiſſe dicatur, quàm ſub medium primi menſis. Quis enim æquum eſſe cenſeat, vt xi menſes ac dies xv imperarint filij, & tamen omne illud
tempus

tempus patris iam mortui nomine celebretur signeturque? Capessuerunt illi quidem mox ab eius morte imperium, sed illud in horum scriptorum Fastis non nisi à Kalendis sequentis Ianuarij illis imputatur.

In Prosperi Chronico *Arcadio IV & Honorio III Coss.* adscriptus est horum Imperij annus primus, qui erat Æræ vulgaris cccxcvi. In Historiâ Gregorij Turon. lib. 1 cap. 45 *anno Imperij eorum secundo, Consules ponuntur Atticus & Casarius.* Is est annus Christi cccxcvii, quo S. Martinus obiit, & quidem *anno atatis suæ octogesimo primo, Episcopatus autem vigesimo sexto.* Eos autem annos Iulianis aptatos auspiciatur is scriptor à proximè sequente Ianuario. Quem morem obseruare se testatur, vbi *sequitur & supputatur annus Chronicalis.*

Apud Francos Chlodoueo I, die xxvii Nouembris, anno 1019, vitâ functo, filij regnū quadrifariâ partiti successerunt; sed ita vt eorū primus annus ab initio sequentis 1020 inchoetur. Ex his porrò Chlodouei filijs Chlotharius I mortuis fratribus monarchiâ postea affecutus est Francorum, decessitque anno 1011, cuius regnū inter quatuor filios diuisum, ita est, vt annus eorum primus apud Gregorium à sequente Ianuario numeretur. Ex his Sigebertus I Rex Austrasiorum apud eundem Gregorium lib. 4 cap. 46 interemptus, *obiit anno regni sui xiv, Christi 1015, eiusque filius Childebertus lib. 5 cap. 1 vix lustro atatis vno operacto, die Dominici Natalis regnare coepit.* A quâ solennitate quia tunc Franci annum auspiciabantur, apud Marium Sigeberto *per fraudem interfecto, Childebertus suscipit regnum Indictione IX, anno Consulatus Iustini iunioris Augusti x, Christi 1016, qui Childeberti primus, integer S. Gunthramni Regis Burgundiæ & Chilperici, patruorum Childeberti, voluitur decimus quintus apud Gregorium.* Hinc lib. 5 cap. 26 horum *annus xvii cum illius tertio*

componitur, & cap. 28 illius *quartus* cum horum XVIII. Imò lib. 6 cap. 14 *mensis Ianuarius anni VII Childeberti* in patruorum XXI incidit. At lib. 9 memoratur *dies IV Kalend. Decemb. anni XII Childeberti & XXVI Gunthramni.*

Consensum cum annis Christi confirmant varij characteres, ad quorum normam chronologia alibi stabilienda est. Nam lib. 6 cap. 15 *dies Dominicus pridie Kalend. Februarij est anno Childeberti VIII, Christi IOLXXXIII, cyclo Solis IV, litterâ Dominicali C.* Lib. 4 capitibus 10 & 22 collatis, *dies hebdomada quartus, seu Mercurij, XVIII Kalendas mensis quinti, seu Iulij, anno Childeberti XV & Gunthramni XXIX, Christi IOXC, cyclo Solis XI, litterâ Dominicali A, quo die terræ motus contigit.* Libro 10 cap. 1 *Pelagio Papâ defuncto S. Gregorius eligitur anno Childeberti XV, Christi IOXC. Eiusdemque Gregorij annus V, ad calcem Historiæ, est Childeberti XIX, Christi IOXCIV.* Prætereà S. Radegundis Regina (vt scribit in eius Vitâ Bandomina, quæ morienti adstiterat) *obiit quartâ feriâ manè Idibus Augusti: addit Gregorius, qui eius sepulturæ præfuit, lib. 8 cap. 43, & lib. 9 cap. 2 annum tunc fuisse Childeberti Regis XII, mensē VI, & XIII diem mensis: quæ annum Christi IOLXXXVII ostendunt fuisse, cyclo Solis VIII, litterâ Dominicali E.* Eodem Gregorio teste lib. 5 cap. 17, *anno II Childeberti, Christi IOLXXVII, dubietas Pascha fuit.* Nam cyclo Solis XXVI, litterâ Dominicali C, *apud Turones multasq; Galliarum ciuitates Pascha celebratum fuit secundum Victorij canonem, XIV Kalendas Maias, cyclo Lunæ VIII: apud Hispanos verò secundum antiquorum Latinorum Canonem XII Kalendas Aprilis, ipso Æquinoctij die.* Sed apud Italos secundum cyclum Lunæ Alexandrinum eo anno *Pascha fuit VII Kalendas Maias: concurrentibus dicto anno in Dominicas XXI Martij, XVIII & XXV Aprilis.* Simili modo lib. 10 cap. 23, *anno Childeberti*

deberti xv & Gunthramni xxix, Christi 10xc, Turonenses Pascha celebrarunt xxii, alij xv Luná, hi vii Kalendas, illi iv Nonas Aprilis: qui dies cyclo Solis xi, litterâ Dominicali A, in Dominicas conueniebant. Denique lib. 6 cap. 21 anno Childeberti vii, Chilperici & Gunthramni xxi, Christi 10lxxxii, Luna eclipsin passa est, & lib. 10 cap. 23 anno Childeberti xv, Gunthramni xxix, Christi 10xc, sole eclipsin pertulit mense octauo, siue Octobri. Vtramque dictis annis eclipsin contigisse accurately calculo demonstrat Petauius de Doctrinâ temporum lib. 8 pag. 850 & 852.

Hæc placuit diffusiùs proponere, quæ qui scripsit, coràm spectauit S. Gregorius, Episcopus Turonensis factus anno Christi 10lxxiii aut initio sequentis, biennio ante regnum Childeberti: vt lector agnoscat characteres è visceribus historiæ erutos, quibus discrimina temporum internosci debent, & certis quasi palis terminisq̃ affigiac circumscribi: intelligatq̃ non sufficere externum quempiam annorum regni vniuscuiusq̃ numerum, qui fallax est, stupiditati amanuensium, & fraudibus erroribusq̃ variis subiectus, vt suprâ ex Reginone constat.

Demum anni variorum Episcoporum aut Abbatum à coæuis scriptoribus obseruati, magnam Chronologiæ conferunt lucem, ac præclarè Epocham Regum stabilunt. Cuius rei exempla infrâ damus.

I I I

Discrimen vnius anni in successione filiorum Chlotharij I inter Gregorium Turonensem & Fredegarium. Annus obitus S. Gunthramni, Childeberti & filiorum Theodeberti ac Theoderici. monarchia Clotharij II patris DAGOBERTI I. Huius infantia.

FRedegarius initio Chronici præfatur, se de eodem incipere tempore scribere, quo Gregorius finem *Gesta* cessavit & tacuit, cum Chilperici vitam finisse scripsit. Interim, quod hætenus non obseruavi ab aliis animaduersum, eius Chronologicum calculum anno vno præuertit, dum, quem Gregorius Turonensis primum annum regnorum Gunthramni, Chilperici & fratrum separat ab vltimo anno patris Chlotharij I, ac duos constituit; ipse coniungit, atque vnicum facit vltimum Chlotharij & primum filiorum Regum. Propterea qui calculum Fredegarij circa hos Reges chronotaxi Gregorij aptare cupiat, annum Fredegario demat necesse est. Quod sequentibus exemplis demonstratur: dum anni Gunthramni & Chilperici secundum vtriusque calculum applicantur annis Childeberti Austrasiorum Regis, qui patre Sigeberto I interempto, vt supra ostendimus, die Domini Natalis regnare cæpit. A quâ solennitate inchoatus annus Christi 10LXXVI, qui Childeberti primus, & Gunthramni & Chilperici patruorum apud Gregorium decimus quintus est: quem decimum sextum numerat Fredegarius.

Hinc

Hinc in Historiâ epitomatâ, quæ etiam Excerpta Chronica Gregorij Turonensis inscribitur, cap. 80 *annus tertius Childeberti* coniungitur cum *anno decimo sexto Chilperici & Gunthramni*: & *annus illius quartus* cum horum *anno decimo septimo*. Apud Gregorium Turon. verò lib. 5 cap. 26 horum *annus decimus septimus* componitur cum illius *tertio*. Dein cap. 28 illius *quartus* cum aliorum *decimo octauo*. Imò lib. 6 cap. 14 *mensis Ianuarius anni VII Childeberti* in *annum patruorum vigesimum primum* conuenit: quem Fredegarius cap. 87 solùm *vigesimum* censet. Prætereà Chilpericum tradit Gregorius lib. 6 cap. 46 interemptum esse mense circiter Septembri, vt ex cap. 45 colligitur, idque *anno IX Childeberti*, qui cap. 33 indicatur, & res eodem anno IX Childeberti gestæ adhuc referuntur lib. 7 vsque ad caput 24. Illum annum idem Gregorius statuit conuenire in *annum Chilperici & Gunthramni vigesimum tertium*, quem Fredegarius in Chronico capitibus tribus primis numerat eorum *vigesimū quartum*, eundemque signat *annum primum regni Clotharij I* patris Dagoberti I, quamuis is patre moriente, quatuor tantum menses natus fuerit, neque annum illum integrum, qui eius regno tribuitur, vixerit: erat is, vt diximus *annus Christi IOLXXXIV.*

Anno insequente, apud Fredegarium cap. 4, *vigesimo quinto regni Gunthramni*, huius iussu *Mummulus interfectus est*: cuius cædem Gregorius lib. 7 cap. 39 refert *anno Childeberti X & Gunthramni XXIV*: ad quem annum res gestæ lib. 8 ab eo descriptæ, adhuc spectant. Anno Christi IOLXXXVII Leouigildi Regis Hispaniarū mortui regnū obtinuit Recaredus filius: qui annus Fredegario cap. 6 est *Gunthramni vigesimus septimus*, Gregorio lib. 8 cap. 46 eiusdem *Gunthramni vigesimus sextus, & Childeberti duodecimus*. Ita qui au-

ctore eodem Gregorio lib. 10 cap. 10 dicitur *Childeberti decimus quintus, & Gunthramni nonus atque viceſimus*, & cap. 24 *Childeberti decimus ſextus & Gunthramni trigefimus*; apud Fredegarium eſt *Gunthramni trigefimus & trigefimus primus*: apud quem cap. 13 anno xxxii *Gunthramni ita à mane uſque ad mediam diem ſol minoratus eſt, ut tertia pars ex ipſo vix appareret*. Ea ſolis defectio accidit anno 10xcii, qui ad Gregorij calculum foret annus Childeberti xvi, & Gunthramni xxxi: quem tamen Aimoinus etiam huius xxxii appellat lib. 3 cap. 80, qui initio calculum Gregorij Turo-nenſis ſecutus, à cap. 75 eiufdem libri, ſui immemor, poſuit annum Gunthramni xxv & ſequentes ſecundùm compu-tum Fredegarij. Eamdem ſolis defectio-nem anno 1x Mauri-tij, qui in dictum annum Chriſti 10xcii conuenit, verno tempore contigiſſe ſcribunt Theophanes & Anaſtaſius in hitoriâ. Viſa autem eſt xviii Martij, paullò antè horam ix, & duabus horis ac dimidiâ durauit, uti ſecundùm Parifi-nas tabulas accuratè demonſtrat Petauius lib. 8 de Doctrinâ Temporum paginâ 853 & ſequenti. Et hic ſolidus hitoriæ Fredegarij atque Aimoini character eſt, quo tempora ſe-quentia niti poſſunt.

Anno ergo proximo ab hoc ſolis defectu apud Fredega-rium cap. 14 *moritur Gunthramnus Rex anno regni xxxiii, v Ka-lendas Aprilis, die eius venerationi deinceps ſacrato*. Fre-degarium deſcribit Aimoinus lib. 3 cap. 81. Annus is eſt Chriſti 10xciii, quem ſucceſſio Childeberti, eiufque filio-rum confirmat. In tabulis Chronologicis, quæ geſtis Epi-ſcoporum Tungrenſium, Traiectenſium & Leodiensium, à Chappeauilleo editis ſubnectuntur, calculo Fredegarij ſecundùm computationem Gregorij Turon. perperam po-ſito, & relata ſolis defectio ad annum 10xciii ſtatuitur, &
obitus

obitus S. Guntramni, successioque Childeberti, in annum sequentem 1094 reijcitur. Verum dicto anno 1093 nulla omnino eclipsis solaris fuit, in nostro quidem hemisphærio conspicua. Nā è quatuor Nouiluniis, quæ prope Caput & Caudam Draconis contigerunt, & de quibus solis potest aliqua quæstio moueri, tria pluribus post solis occasum horis facta sunt, vnicum interdiu, nempe 11 Augusti, horâ circiter secundâ pomeridianâ, quod eclipticum non fuit. Dein si annis Gunthramni in eisdem Tabulis signatis substituantur anni Childeberti apud Burgundos regnantis, vti actum est à Fredegario, & Aimoino, eius primordium necessariò ab anno 1093 sumendum esse, ex mox dicendis constabit.

Idem ergo annus Christi 1093 à nobis assignatus, apud Fredegarium & Aimoinum & vltimus fuit S. Gunthramni Regis, & primus Childeberti in illius suscepto regno: cuius regni Epocham tribus sequentibus annis adhiberi diximus. Hic autem *Childebertus*, vt cap. 16 tradit Fredegarius, anno 14, postquam regnum Gunthramni acceperat, defunctus est, regnumque eius filij sui *Theudebertus* & *Theudericus* adsumunt. *Theudebertus* sortitus est *Auster*, sedem habens *Metensem*, *Theudericus* accepit regnum Gunthramni in *Burgundiâ*, sedem habens *Aurelianis*. His consimilia habet *Aimoinus* cap. 84. Est autem hic vltimus annus Childeberti, idem qui primus filiorum, *Theoberti* & *Theoderici*, conuenitque in annum Christi 1096, quo nempe eisdem Regibus, epistolâ *Indictione* XIV scriptâ, S. Gregorius Papa commendauit SS. *Augustinum*, *Laurentium*, aliosque in *Angliam* proficiscētes anno *Mauritij* XIV, vt ait *Beda* lib. 1 cap. 25: qui annus cum *Indictione* XIV incidit in annum Christi 1096. Est ea S. Gregorij epistola 58 libri 5 *Registri*, cuius tum *mensis Iulio* scri-

ptæ meminit Baronius, & anno illo 596 num. 10, & an. 598 numer. 13. Ad quem annum distulit obitum S. Gunthramni Regis. quare & addit: *Dum verò aiunt, Fredegarius & Aimoinus, Gunthramnum Childeberto reliquisse regnum, non video, quomodo id fieri potuerit, cum habitâ ratione annorum Gunthramni, ipsum Childebertum ante eum ex hac vitâ migrasse oportuerit anno 1096, ut ex litteris Gregorij Papæ monstrauimus.* Verùm secundùm chronotaxim nostram, omnia liquida ac perspicua sunt. De itinere SS. Augustini, Laurentij & aliorum per Gallias in Angliam egimus 11 Februarij ad Vitam S. Laurentij 11 Archiepiscopi Cantuarenfis § 2 nu. 5.

Regni deinde *Theoderici* anno VII apud Fredegarium cap. 23, *Mauritij à se interfecti Imperium assumpsit Focas.* Annus is ex calculo posito est 10011, quo litterâ Dominicali G, cyclo solis XXIII, die XXVII *Novembris, Feriâ III hebdomade, capite eum plexum* refert Chronicon Alexandrinum. Demum anno regni *Theoderici* XVII, Christi 10012, *Theudebertus* prælio à fratre victus, cum regno vitam amisit. *Theodericus* verò anno regni XVIII, Christi 10013, *Mettis profluvio ventris mortuus* est: cuius filiis *Sigeberto* aliisque & auiâ *Brunechilde* occisis, *Clotharius* 11 anno regni paterni XXX, teste eodem Fredegario cap. 49, *in Burgundiâ & Auster regnum arripuit,* eiusque primus annus cum dicto anno 10013, quo *Theodericus* eiusque filij obierunt, computatur. Puer adhuc eo tempore **DAGOBERTVS I** erat, ex *Bertetrude* priore coniuge *Chlotharij* 11 natus.

I V

Tres gestorum Regis DAGOBERTI scriptores precipui, Fredegarius, Monachus S. Dionysij, & Aimoinus. Eius adolescentia, regnum Austrasiorum & matrimonium cum Gomadrude.

Acturi de DAGOBERTO I, non quæcumque ab eo gesta traduntur recensebimus, sed potius, quod de rebus illi adscriptis ferri iudicium par sit, paucis ostendemus. Ac primò Fredegarius (quem infra probamus, Chronicon ad caput LXXX, siue ad quartum post obitum DAGOBERTI annum, solùm scripsisse) vnus est, cuius præcipuè stare testimonio possimus, utpote DAGOBERTO coæuus, & qui præfatur, se *Acta Regum & bella gerentium, quæ legendo simul & audiendo, etiam & videndo, cuncta certificatus cognouit, huius libelli volumine scribere non siluisse, sed curiosissimè, quantum potuit, inserere studuisse.* Et quiuis hoc Chronicon relegens, facile aduertet ex dictione circa Acta DAGOBERTI magis incultâ, ea primò illius calamo exarata esse; non, ut priora magis nitida, ex aliis auctoribus descripta, aut saltem contracta.

Andreas Chesnæus tomo I Historiæ Francorum, exorditur DAGOBERTI Regis tempora à gestis eiusdem Domni DAGOBERTI, scriptis à monacho S. Dionysij, eumque *anonymum quidem, sed contemporaneum* appellat. Petrus de Marcâ lib. I historiæ Bearnæ cap. 26, § 1 opinatur scripsisse illum *sub Chlodoueo II*, cum cuius obitu historiam finit. Verùm plura sunt, quæ hunc auctorem aliquot seculis iunio-

rem esse persuadeant. Sufficiant hîc paucula ex capite XLIII verba: *Vnum*, inquit, *quod in quadam vetustissimâ reperi chartâ, quam, ut ferebatur, B. Audoënus scripserat, quodq; memorato Regi eius post mortem contigit, breuiter narrabo miraculum.* Eiusdem DAGOBERDIS Gesta quasi à pluribus scripta citat Aimoinus lib. 4 cap. 17. *Cuius DAGOBERDIS, inquit, actus licet à nonnullis separatim digesti habeantur, tamen ne eos facta eius lateant, apud quos præfata non inuenitur scriptura, ea nos libuit perstringere.* Floruit Aimoinus monachus Floriacensis sub annum Christi CIO, suamque historiam inscripsit S. Abboni Abbati anno CIOIV interempto, cuius & Vitam scripsit, XIII Nouembris à nobis publico dandam. Aimoino quantum antiquior ille S. Dionysij monachus fuerit, incertum est: antiquiorem tamen fuisse, ex dictis licet coniectare. Ambo præcipuam historiæ suæ auctoritatem mutuuntur à Fredegario, à quo pleraque describunt. Reliquis eorum scriptis non tam securam ubique fidem esse adhibendam, infra constabit.

Inter antiquas & fide dignas historias minimè numeramus *Gesta Regum Francorum* ad Theodericum Regem, DAGOBERDIS Iunioris successorem, continuata, atque à Marquardo Frehero, & Andrea Chesnæo edita, cuius libri auctorem viri eruditi non immeritò *anonymum fabulatorem* appellant.

Hæc de auctoribus: ex quibus monachus S. Dionysij cap. 2 scribit, DAGOBERDIS in annis puerilibus à genitore traditum esse Arnulpho Metensium urbis Episcopo, *ut eum secundum suam sapiëntiam enutrirer, eiq; tramitem Christianæ religionis ostenderet, custodq; ac baiulus esset.* Ac quasi Metis dein Parisios rediisset, addit, *adolescentiæ etatem venationibus exercuisse, ac venerationem amoremque erga SS. Dionysium, Eleutherium ac Rusticum*

cum concepisse: quando ipso insequente ad horum Martyrum ædem fertur ceruus confugisse. Quæ auctor ille, & primus quidem, prolixè narrat, cap. 2, 3, 4; dein cap. 5 obitum Bertetrudis Reginae matris eius, quam Fredegarius cap. 46 tradit mortuam esse anno Chlotharij xxxvi, Christi 10cxi, ac biennio post DAGOBERTVM super Austrasios Regem institutum, anno xxxviii regni Chlotharij, Christi 10cxi; quem adhuc adolescentem potius arbitramur tunc primum S. Arnulpho Episcopo Metensi commendatum. Fredegarius cap. 58, *Ab initio, inquit, quo regnare cæperat, consilio primitus beatissimi Arnulfi Metensis Urbis Episcopi, & Pippini Maioris. Domus vsus, tantâ prosperitate regale regimen in Auster regebat, ut à cunctis gentibus immenso ordine laudem haberet.* Et auctor Vitæ S. Arnulphi coæuus, & in pluribus testis oculatus, ait: *Arnulphum Episcopum Chlotharius tantâ fide & amore dilexit, ut cum prolem suam DAGOBERTVM in Principatus culmine sublimasset, eidem regnum ad gubernandum, & filium ad erudiendum in manum tradiderit. Quem ille acceptum ita altissimâ & profundâ erudiuit prudentiâ, ut in se amborum ratione Rex nullus illi similis fuisse narraret.* Hæc illi, quæ nobis magis probantur, maximè quòd eum adolescentem Austrasiorum regnum administrasse etiam asserat Harigerus in gestis Episcoporum Tungrensiũ & Traiectensium cap. 29. Quem Fredegarius in titi apud Austrasios regni, appellat annum Chlotharij xxxviii, sequentè xxxix tradit monachus S. Dionysij c. 12, eumq; secutus Aimoinus lib. 4 cap. 8, vbi ipsamet reliqua verba Fredegarij vsurpant. Verùm quia eadem vbique ratione tam in libris editis, quàm manu exaratis legitur apud Fredegarium annus Chlotharij xxxviii, eum potius retinendum censemus, cùm codex MS. Alexandri Petauij appelletur *vetustissimus*, & codex Iacobi Sirmondi *uncialibus litteris exaratus* videat-

videatur extitisse ante ætatem Aimoini & fortè monachi S. Dionysij. Verùm mox sequuntur Fredegarium, & Chroaldum iussu DAGOBERTI anno XLI tradunt interfectum.

In hac regni Austrasiorum institutione *Chlotharius sibi retinebat, quod Ardenna & Vosagus versùs Neuster & Burgundiam excludebant.* Accipit auctor Ardennam, vt eam Iulius Cæsar lib.6 de Bello Gallico cap. 29 descripsit, ad Neruios vsque extentam, cuius istic partem alij scriptores siluam Carbonariam appellant. Hinc B. Pippinum, quem cum S. Arnulpho ad informandum regis moribus DAGOBERTVM statuerat Chlotharius, occasione Pippini Herstalli nepotis tradunt Annales Metenses ad an. 687, *populum inter Carbonariam siluam & Mosam fluuium & vsque ad Fresionum fines, vastis limitibus habitantem iustis legibus gubernasse.* Quâ in ditione tunc Germaniæ secundæ, cuius caput Colonia erat, portio censebatur; atque vnâ cum Germaniâ I & Belgicâ I, ac regionibus Transrhenanis in DAGOBERTI regno continebatur. Partem eam Belgicæ II, in quâ diœceses Remensis, Catalaunensis, Laudunensis & Cameracensis sitæ, sibi retinuerat parens Chlotharius. Ea quoque, vbi matrimonium iniit DAGOBERTVS reliquis Austrasiis addita. Quæ ita narrat Fredegarius cap. 53: *Anno XLII regni Chlotharij, Christi MCCCXXV, DAGOBERTVS cultu regio & iussu patris honestè cum Leudibus in Clippiaco, non procul Parisius venit, ibiq; germanam Sichelidæ Regina, nomine Gomadrudem, in coniugium accepit. Transactis nuptiis die tertio inter Chlotharium & filium suum DAGOBERTVM grauis orta fuit intentio. Petebat enim DAGOBERTVS cuncta, quæ ad regnum Austrasiorum pertenebant, suæ ditioni velle recipere. Quod Chlotharius vehementer denegabat, eidem ex hoc nihil velle concedere. Electi sunt ab his duobus Regibus XII Franci, vt eorum disceptatione hac finiretur intentio. Inter quos & Do-*
mnus

mnus Arnulfus Pontifex Metensis cum reliquis Episcopis elegitur, ut benignissimè (sicut sua erat sanctitas) inter patrem & filium pro pacis loqueretur concordia. Tandem à Pontificibus vel sapientissimis viris Proceribus pater pacificatur cum filio. Reddensq; ei solidatum, quod aspiciebat ad regnum Austrasiorum, hoc tantum exinde, quod citra Ligerem vel Prouincie partes situm erat, sua ditioni retenuit.

Hæc Fredegarius, qui apud Burgundiones, & eos præfertim qui Meridiem versùs propinqua Rhodano tenent, egit ætatem. Ab his Aruerni, Albigenes, Gabali, Cadurci, viciniq; populi, qui spectabant ad Austrasios, dicebantur *citra Ligerim fluium* habitare. Suum Fredegarius affectum erga Reges Burgundionum vel maximè prodit, dum Chronicon & à laude ac virtutibus S. Gunthramni Regis auspicatur, & per annos illius, tum Childeberti, huiusq; filij Theoderici, ut Regum Burgundiæ, deducit, omisso Theuderto Rege Austrasiorum, licet natu senior foret, & neglecto Chlothario II Rege Neustriæ vsque ad annum regni xxx, quando reliquis mortuis etiam *in Burgundiâ & Austriâ regnum arripuit*, ut tradit cap. 43. Cum Fredegario prædictos populos *citra Ligerim* constituunt non solum Aimoinus, qui in monasterio Floriacensi ad Ligerim degebat, sed etiam monachus S. Dionysij in Gestis illius cap. 13. *Hoc tantum, inquit, exinde, quod citra Ligerim, vel Prouincie partibus situm erat, sua ditioni retinuit.* Aimoinus cap. 12: *Hoc tantum exinde, quod citra Ligerim, vel in regione, quam Prouinciam cognominant, situm est, sua ditioni retinuit.* De regione Rhodanum inter & Alpes, Romanorum olim Prouinciâ, egimus I Februarij ad Vitam S. Sigeberti Regis Francorum Austrasiorum, diximusq; Austrasiis subiectam fuisse prouinciam Massiliensium, imò eam in plures subdivisam. Nam S. Bo-

nius, postea Episcopus Aruernorum, olim S. Sigeberti Referendarius, sub huius successore Childerico factus est Iudex in Praefectura Massiliae primae Prouinciae, vt dicitur in huius Vita xv Ianuarij num. 4. A Sigeberto I Rege Austrasiorum ad Cabellicensem Cathedram in Prouinciâ promotum esse S. Veranum, habent huius Acta xi Nouemb. vti diximus viii Februarij in Vita S. Honorati Episcopi Mediolanensis pag. 167 num. 25.

V

Gesta DAGOBERTI post matrimonium initum apud Austrasios. VVormatiensi Ecclesia donata. Quid Argentoratensi & Spirensi ab eo praestitum.

ANNO post has DAGOBERTI nuptias, regni Chlotharij XLIII, vt scribit Fredegarius cap. 54, VVarnacharius Maior-Domus moritur. Filius eius Godinus, animum leuitate imbutus, novercam suam Bertanem eo anno accepit uxorem. Vnde Chlotharius Rex aduersus eum nimio furore permotus: iubet Arneberto Duci, qui Godini germanam uxorem habebat, eum cum exercitu interficeret. Godinus cernens vitae suae periculum, terga vertens, cum uxore ad DAGOBERTVM Regem perrexit in Auster, & in ecclesiâ S. Apri, regio timore perterritus, fecit confugium. DAGOBERTVS per legatos pro eius vitâ saepius Chlothario Regi deprecabatur. Tandem à Chlothario promittitur Godino vita concessa, tantum vt Bertanem, quam contra Canonum instituta uxorem acceperat, relinqueret. Qui cum ipsam reliquisset, reuersus est in regnum Burgundiae. Hæc Fredegarius, neque aliud quidquam ab DA-

GOBERTO

GOBERTO gestum narrat, quamdiu in viuis pater fuit. Ad-
dunt alij, DAGOBERTVM impigrè bellum cùm Saxonibus
gessisse, & certamine inito, vulnus in capite animosè pu-
gnantem accepisse. Ei patrem Chlotharium re cognitâ sup-
petias tulisse, Bertoaldum Ducem in fugâ obtruncatum, &
penetratâ regione, vastatisque tectis & agris, mares omnes
deletos esse *spathâ Chlotharij* longiores. Hæc pluribus, eis-
demque ferè verbis, narrant Aimoinus lib. 4 cap. 18, Mona-
chus Sandionysianus cap. 14, Auctor gestorum Regum
Francorum cap. 41 & senem depingunt Chlotharium, qui
detractâ galeâ, nudum canisq̄ue niueum verticem hosti ad
metum sui que reuerentiam ostentârit: quem constat annum
ætatis XLV vix ingressum decessisse. Nisi quis dicat, ex tot
bellis, quæ ab ipsâ penè pueritiâ gessit, nec semper secundâ
fortunâ, caput illi intempestiuâ canitie albicasse. Verùm
quia de his omnino silet Fredegarius, & ea Aimoinus post
mortem ipsius DAGOBERTI, ordine præpostero, narrat, non
plenam saltem obtinent fidem.

Adiungo perscriptas hoc tempore tabulas, & publicâ
DAGOBERTI Regis auctoritate signatas, à Marquardo Fre-
hero in libro de Lupoduno editas: quibus in ipsius Lupo-
duni, quod iam tum Laudemburgum vocabant, perpetuam
Ecclesia WORMATIENSIS missa possessionem est. Plura ex his
tabulis, quæ ad tempora ac res gestas DAGOBERTI spectant,
eruere licebit. Sunt autem huiusmodi.

DAGOBERTVS Rex Francorum. *Cunctos nosse volumus, quali-
ter nos de remedio anime nostre & de futurâ retributione cogitan-
tes, omnino proposuimus in animo nostro Ecclesias Dei de allodis
nostris cohæredes facere, & loca Sanctorum augmentare. De hoc tu-
limus bonum consilium Procerum nostrorum, Pippini, qui est Maior-
Domus, Arnolphi Metensis Episcopi, Huniberti Coloniensis Archie-
piscopi:*

piscopi: & inde misericordiam Dei consequi, & eius Sanctorum
 suffragia promereri confidimus. Ideo omnes Dei fideles, & nostri,
 presentes & futuri recognoscite, qualiter omnes res iuris nostri in
 pago Laudemburgensi, & quidquid ad nostram urbem ambulare
 visum est, & omne quod ad fiscum nostrum haecenus pertinebat
 (excepto Stipe & Comitatu) ex eo nihil dimittentes, tradimus to-
 tum ex integro, magnum & paruum, ad basilicam S. Petri Aposto-
 li, quae est in VVormatiâ ciuitate constructa, cui praest Dominus,
 vir Apostolicus, Amandus; hoc est, quod tradimus, ciuitatem no-
 stram Laudemburg, palatium nostrum, adificia, mancipia, vineas,
 terras cultas & incultas, agros, prata, campos, omne siluaticum in
 siluis Oyenvvalt, cum omni utensilitate in omni pago Laudembur-
 gensi & undique in intrabâ, in pascuis, materiâmina, aquas, aqua-
 rumq; decursus, piscationibus, quæsitis & inquirendis, omne telo-
 neum, mercatum, & quidquid dici aut nominari potest, sicut prius
 ad nostrum usum ambulare videbatur, sic in antea ad praescriptam
 basilicam pro aeterna mercedis augmentum possidendum donauimus,
 & sub integrâ communitate omnia ad eandem basilicam pertinen-
 tia, praecptione nostrâ à nouo confirmamus, sicuti priori anno com-
 munitatis tuitionem dedimus, omnes villas facultates, seu Abbacias,
 & quidquid ad ipsam ciuitatem VVormatiam aspicere videtur, ut
 nullus Iudex publicus, nec causas audiendo, nec freda exigendo, nec
 homines ipsius Ecclesiae, tam ingenuos quàm & seruientes, distrin-
 gendo, nullum impedimentum audeat facere, nisi pro parte ipsius
 Ecclesiae, vel ipse Pontifex Amandus, aut successores hoc habent con-
 cessum atque indultum, quieto ordine possidere, atque dominari,
 quod partibus fisci nostri fuit consuetudo reddendi. Et ut auctoritas
 hac firmitior sit, manu nostrâ subscriptionibus subditis illam decreui-
 mus roborare. DAGOBERTVS REX FRANCORVM. Godefridus
 recognouit. Datum sub die II Kalend. Octobris, anno regni nostri
 VI. Actum Moguntia palatio nostro, feliciter satis.

Haecenus

Haftenùs tabulæ DAGOBERTI, quas dein confirmarunt Reges Childericus, Pippinus, eiusque filius Carolus Magnus: vti in huius diplomate apud eundem Freherum paginâ 22 liquet. Ibi, vt Carolus declarat, *Erenbertus Ecclesia VVormatiensis Episcopus detulit præceptum DAGOBERTI Regis Fræcorum, in quo tenebatur, qualiter idem DAGOBERTVS Rex Francorû ad basilicam S. Petri Apostoli, quæ est in VVormatiâ ciuitate constructa, tradidit ciuitatem Laudenberg in pago Laudenburgensi sitam, cum omnibus rebus ad illam pertinentibus, hoc est, ædificia, mancipia, vineas, terras cultas & incultas, agros, prata, campos, omnem siluaticum in siluis Oyenwvalt, cum omni utensilitate in omni pago Laudenburgensi in vndique in intrahâ, in pascuis, in materiâ inibus, aquis aquarumq; decursibus, piscationibus, questis & inquirendis: item teloneum, mercatum, & quidquid ad fiscum pertinebat, excepto Stipe & Comitatu, ex integro omnia concessit, & sub integrâ erummitate omnia ad eandem basilicam pertinentia suâ præceptione cõfirmavit. Præterea in nostram præsentiam attulit chartas & præcepta prædecessorum nostrorum, Regum videlicet Francorum, Hilperici, & genitoris nostri bona memoria Pippini, in quibus continebatur, quomodo ipsi Principes & Reges Francorum præceptum DAGOBERTI, & omnes prædictæ Ecclesie res suis præceptionibus confirmassent. . . . Data mense Iulio, anno XXX regni nostri. Actum Valentianis. Quod priuilegium postea confirmarunt Ludouicus Rex, Otto Imperator, Henricus Rex, Rudolphus Rex Romanorum, & Ludouicus IV Imperator. Imò telonei à DAGOBERTO aliisque Regibus concessi priuilegiû renouarunt Ludouicus Pius Imperator, Lotharius Augustus, & Otto Imperator. vti in eodem tractatu videri potest pag. 23 & 24. Demum originale diploma DAGOBERTI Regis suo tempore adhuc integrum fuisse in archiuis Episcopi VVormatiensis testatur Gaspar Bruschius in X Episcopo Wormatiensi. Quæ omnia dicto*

diplomati fidem conciliant indubitam, ac tres Antistites nominant, qui anno VI regni DAGOBERTI, Christi DCXXVI aut sequenti, sacras infulas gesserunt, Arnulphum Metensem, Chunibertum Colonensem, & Amandum Wormatiensem.

Est hic *Amandus* II istius nominis Wormatiensis Episcopus, qui tantâ religione, uti asserit Bruschius, ac tantis miraculis etiam claruit, quibus doctrinam Christianam confirmavit Deus, ut ei Senatus populusq; urbis Vangionum templum gratitudinis ac pietatis ergo post mortem statuerent, quod hodie adhuc in suburbio situm, S. Amandi parochia appellatur. Bertramus Limburgius Societatis nostræ olim apud Vangiones collegij Rector, de Sanctis urbis Wormatiensis à nobis interrogatus, respondit anno MDCCXXXVIII, corpus S. Amandi, huius nominis II Episcopi VVormatiensis, adseruari in Cathedrali ade, in eiusq; honorem extructum templum extare parochiale in suburbio, dictum S. Amandi, eiusq; festum celebrari XXVI Octobris, at Lectiones in Breuiario VVormatiensi recitari de S. Amando Belgij Apostolo, nullâ factâ Sedis VVormatiensis mentione. Sed S. Amandus II Wormatiensis diuersus est ab S. Amando Belgij Apostolo, Episcopo Traiectensi. Hic iuuenis Biturigas profectus, S. Austregisilum eius urbis Episcopum conuenit, non ante annum DCXXII, quo infrâ dicemus S. Apollinari mense Octobri anni DCXI mortuo successisse S. Austregisilum. Ab hoc S. Amandus, teste Baudemundo in eius Vitâ, Bituricis inclusus, tribus ferè militans lustris, pane & aquâ corpus suum sustentauit. Quibus lustris annos quindecim exprimunt, Anonymus Aquitanus, Milo Poëta, Harigerus, & Philippus ab Eleëmofynâ in eius Vitâ. Sic, inquit hic, annis fermè quindecim viro Dei viuitur, sub SS. Austregisilo & Sulpitio Pio, ad annum vsque Christi DCXXVII, quo Romam abiit, à reditu consecratus

cratus Episcopus: cùm Wormatiensis Episcopus Amandus iam prædicta bona à DAGOBERTO Rege anno 100XXVI aut sequente obtinisset.

Spira ciuitas Nemetum, Wormatiam inter & Argentoratum, suos olim habuit Episcopos, sed quorum acta nominaque prorsus interciderunt, vnico excepto Ieffæo, qui in Synodo Agrippinensi, anno Christi CCCXLVI cum aliis orthodoxis Episcopis Euphratam hæreseos condemnauit. A quo tempore collapsum volunt hunc Episcopatum, quem Rex DAGOBERTVS feliciter instaurârit, ei que præfecerit Athanasium, Sacellanum suum: ideoque DAGOBERTVM veluti primum suum fundatorem totam honorare & prædicare Spirensis Ecclesiam. Verùm sicut quæ non firmis nixa sunt fundamentis ædificia, facilè corruunt, ita nonnullæ historiæ, quibus sua deficit ab antiquitate auctoritas, facilè dissipantur. Walafrius Strabo in Vitâ S. Galli Abbatis XVI Octobr. refert à Gunzone Duce Constantiam ad eligendum Episcopum aduocatos esse Augustodunensem & Verdunensem Episcopos, cum multitudine Clericorum. Nemidone etiam, quæ à modernis Spira vocatur, venire iussit Episcopum. Ita Strabo. In eo Episcoporum conuentu, S. Gallo id onus declinante, creatus est Episcopus Ioannes Diaconus circa annum 100XIII. Guilielmus Eysengreinius lib. 7 Rerum Chronologicarum vrbis Spirensis & Bruschius de Episcopis, hunc Nemidonensem, seu Spirensis, Episcopum appellant Athanasium, eiusque Sedi attribuunt annos quadraginta: vti & Demochares & Claudius Robertus: qui eidem successisse tradunt Principium, quem donationibus Ecclesiæ Treuirensi eiusque Episcopo Modoaldo à DAGOBERTO anno 100XXXII factis subscripsisse volunt: adeoque eius decessor Athanasius multis antè annis fuisset Episcopus, quàm DAGOBERTVS nascere-

tur.

tur. Verùm illud donationis monumentum fide auctoritateque carere infrà ostendetur.

Nicolaus Serarius enumerat antiquos vr̄bis Moguntinæ Episcopos, ac xxxvi censet *Luthwaldum*, ei que successisse *Leovwaldum*, quorum alteruter, si tamen diuersi sint, est *Lupoaldus*, qui Concilio Remensi anno 100xxiv aut sequenti subscripsit. Quidni simili modo Wormatiæ, Spiræ, Argentorati, quæ eidem Germaniæ & in Notitiâ antiquâ Prouinciarum & Ciuitatum Galliæ attribuuntur, sui etiam fuerint Episcopi? Est autem nobilissima ditissimaque Argentoratiensis Ecclesia, cui ab vno eodemque Rege DAGOBERTO præcipua bona volunt donata, posterioris æui passim omnes scriptores, eumque appellant *Argentinensis Episcopatus Fundatorem*. Iacobus Wymphelingus in catalogo Episcoporum Argentinensium anno 1010viii excuso, originem huius Episcopatus ita refert: DAGOBERTVS, *Austrasiorum & Alsatiorum Rex, cognitâ sanctitatis & virtutum Amandi famâ, ipsum, ut ex Traiecto vocatus, primus Argentinensis Ecclesiæ Antistes præficeretur, effecit anno Christi 10xcvi, scilicet quinquaginta antè annis, quàm Ecclesiæ Traiectensi præficeretur S. Amandus, circa an. 10xciv natus, quo tamen DAGOBERTVS Rex multò iunior fuit. Franciscus Guiliannus in Commentario de Episcopis Argentinensibus Wymphelingi errorem correcturus, scribit S. Amandum ab DAGOBERTO Magno Francorum Rege, primum Argentinensium institutum Episcopum circiter an. Domini nostri 10cxl. quem Episcopatum fundaturus quidquid iuris aut regiæ superioritatis in eâ Alsatia sibi aut suis quocumque modo competeret, in Amandum & in eius in præfulatu legitimos successores liberrimè transfudit. Quæ verba tamquàm ex vetusto scriptore deprompta, magni æstimat Iodocus Coccius in Dagoberto Rege*

cap. 14, neque aliud, quo nitantur, fundamentum ostenditur. In antiquo Breuiario Argentinensi, annis 1478 & 1489 excuso, celebratur xxvi Octobris festum *S. Amandi Episcopi Argentinensis*, Lectionibus, quæ ad Matutinum recitantur, ex Vitâ *S. Amandi Episcopi Traiectensis* desumptis: vnde alijs videtur errandi occasio data, maximè quòd eodem die etiam colatur *S. Amandus Traiectensis* ob translatus eo die Reliquias. Infrà lib. 4 texemus catalogum Episcoporum Argenteratensium, qui tribus seculis ante regnũ DAGOBERTI isti Ecclesiæ præfuerunt.

VI

Regnum Neustria & Burgundia DAGOBERTO delatum. Pars Aquitania Chariberto fratri permessa. Sedes regni primis annis apud Austrasios. Epocha regni Austrasiorum. Sclavi & Auares. Illorum Rex Samo an ex Belgio oriundus?

MORTUO Chlothario anno regni sui XLV, Christi 10CXXVIII, DAGOBERTVS, inquit Fredegarius cap. 56, iussit vniuersis leudibus, quos regebat in Auster, cum exercitu promouere. Missos in Burgundiam & Neuster direxit, vt suum deberent regimen elegere. Quod primò omnes Pontifices & leudi Burgundia fecerunt: dein & Neustrasia Pontificum & Procerum plurima pars. Cumq̃, inquit cap. 57, regnum Chlotharij, tam Neptici quã Burgundia, præoccupasset DAGOBERTVS, captis thesauris & ditioni suæ redactis; consilio sapientum vsus, Chariberto fratri suo cōcessit pagum Tolosanum, Caturcinum, Agennensem, Petroco-

E

reum

34. DE TRIBVS DAGOBERTIS

reum & Santonicum, vel quod ab his versus montes Pyrenaeos excluditur. Qui Sedem Tolosanam elegens, in parte provincia Aquitanica regnavit. Erat is natus matre Sichildâ sorore Gomadrudis vxoris DAGOBERTI: Hic reuersus Metas, perrexit ad VIII. vsque annum post obitum patris & apud Austrasios habitare, & cœptam ab initio regni annorum Epocham continuare. Nicolaus Zyllesius par. 3. defensionis Abbatia S. Maximini pag. 9. vulgavit diploma DAGOBERTI, datum Moguntia pridie Nonas Aprilis anno regni XII, quod Henricus Cancellarius ad vicem Ricolfi Archicapilani recognouit, adiuncto signo Regis ex litteris nominis DAGOBERTI, secundum aui illius morem, efformato, cum effigie eiusdem, & circumpositis his verbis: DAGOBERTVS REX D+GRACIA. Annus hic XII regni secundum Æram apud Austrasios cœptam, conuenit in annum Christi 10XXXII. aut sequentem: nec potest applicari calculo regnorum eius à morte Chlotharij patris incepto. Nam anno XI regni Neustriae, vt tradit Fredegarius cap. 75, Sigebertum filium suum in Auster regnum sublimauit: cuius in diplomate illo annus debuisset apponi, non DAGOBERTI, qui illud regnum abdicarat.

Ceterum apud Fredegarium sex illorum annorum, quibus ab obitu patris DAGOBERTVS apud Austrasios moratus est, vacuum est, & inconcinnè initium capitis LVIII dispositum his verbis: DAGOBERTVS cum iam anno VII regnaret, maximam partem patris, vt iam memini, assumpsit, id est, post maximam partem regni patris assumptam, Burgundias ingreditur &c. Quæ verò ad illud vsque tempus egerat, sub finem capitis summam repetuntur: Vsque eo tempore, inquit, ab initio, quo regnare cœperat, consilio primitus beatissimi Arnulfi Metensis urbis Pontificis & Pippini Maioris-Domus v-

sus,

fus, tantâ prosperitate regale regimen in Auster regebat, ut à cūctis gentibus immenso ordine laudem haberet. Timorem verò sic fortem sua concusserat utilitas, ut iam deuotione arriperent, suæ se tradere ditioni, ut etiam gentes, quæ circa limitem Auarorum & Sclauorum consistebant, eum promptè expeterent, ut ille post tergum eorum iret feliciter, & Auaros & Sclauos ceterasq; Gentium nationes vsque manu publicâ, suæ ditioni fiducialiter spondebat. Hac laude gloriæque splendore cumulandus S. Arnulphus Episcopus, cuius sanctis moribus ac præceptis hætenus institutus fuerat DAGOBERTVS. Sed pergit Fredegarius: Post discessum B. Arnulphi ad eremum, adhuc consilium Pippini Maioris-Domus & Chuniberti Pontificis Urbis Colonia vtens, & ab ipso fortiter admonitus, tantâ prosperitate & iustitiæ amore cõplexus, vniuersas sibi subditas gentes, vsque dum ad Parisius, ut supra memini, peruenit, regebat, ut nullus de Francorum Regibus præcedentibus suâ laude fuisset præcellentior. At solùm antè dixerat, DAGOBERTVM post obitum patris anno VII venisse Parisios, is est annus Christi 1033: ad quod vsque tempus DAGOBERTVS felicissimè, & necdum luxuriæ vitiis corruptus, apud Austrasios vixerat.

Interea S. Amandus creatus Episcopus ad prædicandum vbiuis gentium Euangelium, fundandasque Ecclesias, per S. Aicharium Episcopum Nouiomensem impetrauit epistolas DAGOBERTI Regis, quibus munitus intrepidè fidem Christi Gandauenfibus annuntiauit: quod factum esse anno Christi 1031 diximus ad huius Vitæ VI Februarij § 10 pag. 831. Notitia eidem tunc quoque inita in reliquo Brabantio, pago Senonago, ac vicinâ Hasbaniâ: in quibus locis degebant B. Pippinus Maior-Domus DAGOBERTI, pater SS. Gertrudis & Beggæ; Walbertus parens SS. Waldetrudis & Aldegundis; Witgerus, à quo progenitæ SS. Gudila &

Rainildis; omnes viri Principes, atque in aulâ DAGOBERTI Regis magno in honore habiti. Est autē pagus seu Comitatus Senonagus in antiquo Brabantio à flumine Sennâ *Sennegavu* dictus, vti ab Hainâ *Hainegavu*, à Mosâ seu Masâ *Mafegavu*. Exoritur Senna prope oppidum *Sonegiam*, quasi *Sennonegiam* appellatum, vulgò *Sennick*, Gallico sermone *Soignies*, ac dein interluit illustrem Belgij Principum ac Gubernatorum sedem *Bruxellas*: quæ vrbs num huic etiam fluuiio suam debeat nomenclationem, non disputo. Est Pōtisara, Gallis *Pontoise*, Vexini Francici oppidum, cui pons Oesiarum siue Ifaræ fluminis nomen dedit: an *Bruxella*, in antiquis chartis *Brughfella*, quasi *Bruchfenna* eodem modo appellata? Ita Brabantia eiusdem aliud oppidum, eisdem litteris mutatis, Thena Gallis Tillemontium dicitur. Sed his omissis, præerat Sclauis antè indicatis *Samo*, anno *Chlotharij* XL, Christi 1000, in *Regem electus*, vt tradit *Fredegarius* cap. 48, *natione Francus, ex pago Senonago* oriundus. Acceptâ horum Sclauorum eorumque Regis Samonis notitiâ, S. Amandus vltra Rhenum Danubiumque profectus est anno 1000, æstuans desiderio aut hanc gentem eiusque Regem ad fidem Christi adducendi, aut martyrij palmam consequendi. Potuit litteris consanguineorum Regis in dicto pago Senonago habitantium, & religione Christianâ iam antè institutorum, instructus hoc iter fecisse S. Amandus. Dicebantur hi Sclauis cognomento Winidi ac Carientani, & occuparant prouincias transdanubianas, Carinthiam, vulgò *Karndt*, Marchiam Winidorum, & Sclauoniam hætenus appellatas: quibus vicini Auares Chuni Pannoniam inferiorem detinebant, ab iis Hungariam dictam. Ibi *circa litem Auarorum & Sclauorum* Marchiones constituti sunt, è quibus in *Annalibus Fuldensibus* ad annum 1000 est qui-

qui-

quidam *Engiscalcus*, ab Arnulpho Imperatore, cuius is filiam habebat uxorem, *Marchensis in Oriente* factus: quales tum *Marchiones*, postea *Archiduces Austriae* dominatum tenuerunt. De *Marca* istic ordinata à Ludouico seniore Rege *Germania* legendi iidem *Annales Fuldenfes* ad annum *IOCCCLXI*.

V I I

Sedes postea DAGOBERTI vrbs Parisiorum. Gomadrudis repudiata. Nanthildis aliq³ Reginae & concubinae adscitae. Filij S. Sigebertus & Chlodoueus II. Regnum Austrasiorum S. Sigeberto datum.

MORTUO Chlothario, populi Neuftriae & Burgundiae annos regni DAGOBERTI ab hac successione numerare coeperunt: cuius vestigium extat in testamento S. Burgundoforae fundatricis ac primae Abbatissae monasterij Eboriacensis in dioecesi Meldensi, ab eâ *S. Phara* vulgò appellati. Edidit illud Labbeus in *Miscellaneis curiosis* cap. 3 § 5 hoc exordio: *Anno quinto, regnante Domino DAGOBERTO Rege gloriosissimo sub die VII Kal. Nouemb.* Progreditur ab anno VII regni Neuftriae, Christi *IOCCXXXIV*, *Fredegarius. DAGOBERTVS*, inquit cap. 58, *Burgundias ingreditur. Tanto timore Pontifices & Proceres in regno Burgundiae consistentes, seu & ceteros leudes aduentus DAGOBERTI concusserat, ut à cunctis esset mirandus. Pauperibus iustitiam habentibus gaudium vehementer inrogauerat. Cumq³ Lingonas ciuitatem venisset, tantam in vniuersis Leudibus suis, tam sublimibus quàm pauperibus, iudicabat iu-*

stítiam, ut crederetur omnino Deo fuisse placibile, ubi nullum intercedebat premium, nec personarum acceptio, nisi sola dominabatur iustitia, quam diligit Altissimus. Deinde adgressus Diuionem, imoq; & Latona resedens aliquantis diebus, tantam intentionem ad vniuersum regni sui populum iustitiã indicandum posuerat. Huius benignitatis desiderio plenus, nec somnum capiebat oculis, nec cibo satiabatur, intentissimè cogitans, ut omnes cum iustitiã receptã de conspectu suo leti remearent. Hæc ibi cum illustri commendatione piæ institutionis, quã apud sanctissimos viros Arnulphum & Chunibertum Episcopos, ac Pippinũ Maiorẽ Domus fuisse DAGOBERGIVM formatum ex eodem capite Fredegarij retulimus. Sed pergit idem auctor: Eodem die, quo de Latonã ad Cabillonum deliberãrat properare, priusquã luce sceret, balneum ingrediens, Brudulfum auunculum fratris Chariberti interficere iussit, qui ab Amalgario & Arneberto Ducibus & Villibado Patricio interfectus est. Erat Brudulfus, frater Sichildis secundæ vxoris Chlotharij, & Gomadrudis ipsius DAGOBERGI vxoris: quem cap. 56 dixerat voluisse Charibertum nepotem in regnum stabilire, atque aduersus DAGOBERGIVM cœpisse miscipulare.

Interfecto Brudulfo, DAGOBERGVS (verba sunt Fredegarij) Cabillonum iustitiæ amore, quam cœperat, perficiendæ intentionem dirigit: post per Augustidunum, Autefioderum pergens, per ciuitatem Senonas Parisius venit, ibiq; Gomadrudem Reginam in Romiliaco villã, ubi ipsam in matrimonium acceperat, relinquens, eò quòd esset sterilis, cum consilio Francorum, Nanthildem vnã ex puellis de monasterio, in matrimonium accipiens, Reginam sublimauit. Aimoinus cap. 19 Nanthildem à monasterio raptam tradit. Monachus San-Dionysianus, solùm puellam speciosissimi decoris appellat, silentio præteriens Regis libidinem, quam cap. 60 ita depingit Fredegarius: *Luxurie super modum deditus.*

tus.

tus. Nam tres habebat maximè ad instar Reginae, & plurimas concubinas. Reginae verò hæ fuerunt, Nanthildis, Vulfgundis & Berthildis. Nomina concubinarum, eò quòd plures essent, increuit huic *Chronica* inferi. & hoc postquam ab anno regni Neustriæ VIII, Christi 100XXXV in Neptrico, id est Neustriæ regno, sedem patris sui Chlotharij deligēs, assiduè residere disposuit, cū omnis iustitiæ, quam prius dilexerat, fuisset oblitus, cupiditatis instinctu super rebus Ecclesiarum & Leudium, sagaci desiderio vellet omnibus undique spoliis novos implere thesauros. Eadem tradit Aimoinus. Ob hanc DAGOBERTI Regis incontinentiam culpam, S. Amandum fuisse in exilium missum, tradunt Vitæ eius scriptores. Eodem anno VIII, tempore verno, cū DAGOBERTVS regio cultu Auster circuitet, quamdam puellam Ragnetrudem stratui suo adscruit, de quâ eo anno habuit filium nomine Sigebertum... Pippinus verò eo anno cum Sigeberto filio DAGOBERTI ad Charibertum Regem accessit. Charibertus Aurelianis veniens, Sigebertum de sancto lauacro suscepit. Hæc Fredegarius cap. 59, 61, & 62, & dein alia refert eodē anno VIII, Christi 100XXXV, peracta, quo Legati DAGOBERTI, quos ad Heraclium Imperatorem direxerat, nomine Seruatus & Paternus, ad eundem reuertuntur, nuntiantes pacem perpetuam cum Heraclio firmasse.... Æga verò à ceteris Neptasis consilio Dagoberti erat assiduus.

Anno IX regni Neustriæ, Christi 100XXXVI, vt tradit Fredegarius cap. 67, Charibertus Rex moritur, relinquens filium parvulum, nomine Chilpericum, qui nec post moram defunctus est. Fertur factiōne DAGOBERTI fuisse interfectus. Omne regni Chariberti vnà cum VVasconiâ DAGOBERTVS protinus sua ditioni redegit, factus totius Francici imperij monarcha.

Eodem anno inter Samonem Regem Sclauorum & DAGOBERTVM bellum est exortum, quòd Sclavi, inquit Fredegarius, negotiantes Francorum cum plurimâ multitudine interfecissent,

cissent, & rebus expoliassent. Missus initio ad res repetendas Sicharius, sed quòd superbiùs ageret, de conspectu Samonis est eiectus. DAGOBER-TVS mox triplicem aduersùs Sclauos concitauit exercitum, Langobardorum, Alamannorum, Austrasiorù. Austrasij re parùm prosperè gestâ diffugerūt. At plurimum numerum captiuorum de Sclauis Alamanni & Langobardi secum duxerunt. Multis post hæc vicibus VVinidi in Thoringiam & reliquos vastando pagos, in Francorum regnum irruunt. . . . Istam victoriam non tantùm Sclauiuorum fortitudo obtenuit, quantùm dementatio Austrasiorum, dum se cernebant cum DAGOBER-TO odium incurrisse, & assiduè expoliarentur. Hæc Fredegarius, qui cap. 74 aliam Winidorum irruptionem in Thuringiam, anno sequenti, Christi 100XXXVII, regni Neustriae x factam refert: quando Saxones se Francorum limitem conseruatuos addixerunt, modò Rex, quod pendere consueuerant tributum, non exigeret. Quingentas, inquit idem auctor, vacas inferendales singulis annis à Chlothario seniore censiti reddebant, quod à DAGOBER-TO cassatum est.

Cum his non obstantibus, VVinidi iussu Samonis fortiter seuirent, & saepe transceso eorum limite, regnum Francorum vastando, Thoringiam & reliquos pagos ingrederentur, DAGOBER-TVS anno regni XI, Christi 100XXXVIII, Metis urbem veniens, cum consilio Pontificum, seu & Procerum, omnibusq; Primatibus regni sui consentientibus, Sigebertum filium suum in Auster regnum sublimauit, sedemq; Mettis ciuitatem habere permisit. Chunibertum Coloniae urbis Pontificem, & Adalgiselum Ducem Palatij ad regnum gubernandum instituit. Thesaurum, quod sufficeret, filio tradens, condignè (vt decuit) eum huius culmine sublimauit, & quodcumque eidem largitus fuerat, sigillatim præceptionibus roborandum decreuit. Deinceps Austrasij eorum studio limitem & regnum Francorum contra VWinidos utiliter defensare noscuntur. Hæc Frede-

Fredegarius cap. 75. qui cap. 76, occasione Chlodouei nati, regnum Austrasiorum nouâ pactione stabilitum scribit, his verbis: *Cumq̄ anno XII regni DAGOBERTI, eidem filius, nomine Chlodoueus, de Nonthilde Reginâ natus fuisset, consilio Neustrasiorum, eorumq̄ admonitione, per pactionis vinculum cum Sigeberto filium suum firmare dinoscitur, & Austrasiorum omnes Primati, Pontifices ceteriq̄, Leudes Sigeberti, manus eorum ponentes, in super sacramentis firmauerunt, ut Neptricum & Burgundia solidato ordine ad regnum Chlodouei post DAGOBERTI discessum aspiceret. Auster verò, idemq̄ ordine solidato, eoq̄ quod & de populo & de spatio terra esset coaquans, ad regnum Sigeberti, idemq̄ in integritate deberet aspiceret, & quidquid ad regnum Austrasiorum iam olim pertineret, hoc Sigebertus Rex sua ditioni regendum reciperet. & perpetuò dominandum haberet, excepto Ducatu Denteleni, qui ab Austrasiis iniquè abstultus fuerat, iterum ad Neustrasios subiungeretur, & Chlodouci regimini subiiceretur. Sed has pactiones Austrasij terrore DAGOBERTI coacti, vellent nolent, firmare visæ sunt, quod postea temporibus Sigeberti & Chlodouei Regibus conseruatum fuisse constat. Hæc Fredegarius: ex quibus auersus ab Neustrasiis animus Austrasiorum perspicitur, quod infra in successoribus manifestius perspicietur.*

*Maiores-Domus DAGOBERTI B. Pippinus & Æganes. Referendarij, seu Cancellarij, Godefri-
 dus, Henricus, Chrodobertus, S. Audoënnus.
 Monasterium S. Dionysij dotatum. Primiti-
 lius Abbates. Diplomata discussa.*

QVI DAGOBERTO Regi adfuerunt intimi, maximeque honorati ministri, sunt aut Maiores-Domus, qui vniuersis palatij rebus inuigilabant, aut Referendarij, ita dicti, teste Aimoino lib. 4 cap. 41, quod ad eos vniuersa publica deferrentur conscriptiones, ipsique eas annulo Regis, siue ab eo sigillo sibi commisso, munirent, firmarentque. Maior-Domus, vsque ad annum Christi 100XXXV, regni DAGOBERTI post obitum patris VIII, id est, quamdiu apud Austrasios vixit, palatio eius præfuit B. Pippinus Dux, de cuius sanctissimâ vitâ agimus XXI Februarij die eius natali. Postquam Rex Parisiis, quæ sedes Chlotharij patris vltima fuerat, domicilium fixit, Æganem præ ceteris Neptasii consilio DAGOBERTI fuisse assiduum tradit Fregedarius cap. 72. Ipse namque, vt dicitur cap. 80, inter ceteros Primates Neptrici prudentius agens, & plenitudine sapientiæ imbutus, cunctis erat præcellentior. Eratque genere nobili, opibus abundans, iustitiam sectans, eruditus in verbis, paratus in responsis: tantummodo à pluribus blasphematus, eò quod esset auaritiæ deditus. Facultates plurimorum, quæ iussu DAGOBERTI in regno Burgundiæ & Neptrico illicitè fuerant usurpata, consilio Æganis omnibus restaurabantur, dum ab obitu illius regnum Chlodouei filij

flij & palatium condignè gubernaret.

Inter Referendarios, quos Cancellarios postea appellarunt, primus refertur Godefridus anno regni Austrasiorum sexto, secundus Henricus, anno eiusdem regni XII, quando diplomata supra relata consignarunt. Postquam sedem regni Parisiis statuit, primus Referendarius videtur fuisse Chrodobertus, ille idem, qui in bello Sclauico Dux Alamannis præfuit anno Christi 100XXXVI, & anno sequenti obtulit diploma regium, quo infra lib. 4 dicemus S. Desiderium fuisse *Idibus Aprilis* Episcopum Cadurcentem denominatum. Præcipuus & maximi nominis Referendarius fuit S. Audoënus, cuius meminit Fredegarius cap. 98 ad annum Dagoberti XIV, Christi 100CXLI, & virum laudat *sanctæ religionis sectantem*. Idem faciunt monachus Sandionysianus cap. 39, & Aimoinus lib. 4 cap. 29, qui ait eum *religiosæ vitæ testimonium habuisse*. Auctor Vitæ S. Audoëni de dignitate Referendarij hæc habet: *S. Audoënus cognomento Dado, Auricularij locum in aulâ Regis sortitur. Ipse etiam ad signanda scripta, vel edicta regalia, quorum ipse conscriptor erat, sigillum vel anulum Regis custodiebat*. Quo eum anno Rex ad hanc dignitatem euexerit, non sat liquet. Edidimus VI Februarij pag. 818 diploma DAGOBERTI, quo S. Amando confirmat Elnonem donatum ad monasterij constructionem. Signatum diploma est *Parisiis Kalend. Maij anno regni Neustriæ XI, Christi 100XXXIX, & recognouit Gerardus Notarius ad vicem Dadonis Cancellarij*.

Iacobus Dubletius lib. 3 Antiquitatum monasterij S. Dionysij plures tabulas profert, quibus DAGOBERTVS Rex confirmat priuilegia dicti monasterij, aut varia eidem beneficia donat. Sed scatent subscriptiones enormibus mendis. Anno regni eius XXV aut XXX quædam diplomata signan-

tur, & tamen XVI regni anno viuere desiit. *Eligius* anno regni eius V, X, XIV & XV subscribit *Episcopus*, & rursus anno XV, XXV & XXX *aurifaber*, vti & *Dado Episcopus Rotomagensis* anno regni V. Qui ambo tertio post obitum Regis anno tantum ordinati sunt *Episcopi*. Eadem plerorumque *Episcoporum*, qui plurimi memorantur ratio est. *S. Arnulphus Episcopus Metensis*, qui relicto *Episcopatu* circa annum 1033 secessit in eremum, subsignat anno regni eius XIII, & XIV, & in priori cum *Chlodoueo filio Dagoberti*: cuius iterum diploma anno regni VII signat cum *Gundoëno Comite Normanniæ* & *Charimundo Comite Flandrensi*. Dubletius interea testatur effigies *DAGOBERTI* & *Chlodouei* in sigillo cereo expressas videri appensas, quasi sic omnis dubitandi de sinceritate præcisa esset ansa. At vel ideò magis omnia suspecta. Alij sincerius esse censent diploma à *Dubletio* pag. 656 editum, cum hac subscriptione: *Ego DAGOBERTVS subscripsi: Dado obtulit. Datum die III Kal. Augusti anno II regni DAGOBERTI, Compendio feliciter in Dei nomine, Amen.* Agitur de mercatu annuo *Idibus Octobris* ad honorem *S. Dionysij* constituto: quem *monachus S. Dionysij* in *Gestis DAGOBERTI* cap. 36 tradit concessum anno XII *DAGOBERTI*, qui proinde annus esset restituendus. Neque *Abbatum S. Dionysij* in hisce diplomatis nomina omnem suspitionum materiam satis eximunt: quatuor omnino nominantur, *Aigulfus, Chunaldus, Dodo, Leobafarius*, quos hoc ordine primos illi monasterio præfuisse tradunt *Dubletius* & *Claudius Robertus*. Ex his *Aigulfus* memoratur in diplomate anno VIII & X *Dagoberti*: quo etiam X anno *Chunaldus* nominatur, vti anno XIV *Kalendis Augusti Dodo*: quo eodem anno mense *Octobri* iterum, quasi reuixisset. *Aigulfus* subscripsit, & dein anno sequente XV *Kalendis Nouembris*; quo tamen anno antè relatus erat

erat

erat III Kalend. Augusti Leobafarius. Sed rursus ad annum Dagoberti XXV, & XXX Aigulfus legitur, quidenuò signat anno VI Chlodouei: vt quatuor ab iis Aigulfos statui necesse sit: qui vnus idemq; sub DAGOBERTO & Chlodoueo vixit. DAGOBERTVS, teste Fredegario cap. 79, ecclesiam S. Dionysij condignè ex auro & gemmis & multis pretiosissimis speciebus ornauit, & condignè in circuitu fabricare praecepit, patrociniū ipsius pretiosum expetens. Tanta opes ab eodem & villa & possessiones multa per plurima loca ibi sunt conlocata, vt miraretur à plurimis. Psallentium ibidem ad instar monasterij Sanctorum Agaunensium instituire iusserat. Sed facilitas Abbatis Aigulfi eandem institutionem noscitur refragasse. Hæc Fredegarius, quem monachus S. Dionysij describit cap. 44. vti priorem partem Aimoinus cap. 33, qui cap. 41 tradit anno XIV regni Chlodouei, Aigulfum loci illius Abbatem fuisse, quem tres alij sub Chlothario & Childerico aut etiam DAGOBERTO iuniore secuti videntur.

Idem Aimoinus de ornatu ecclesiæ S. Donyfij hæc enarrat cap. 20. *Inter alia Ecclesiarum Gallia spolia, ex occasione basilicæ D. Dionysij exornandæ, direptas valuas fulsi ere fabrefactas à templo S. Hilarij Pictauiensis fertur abstulisse, Quas dum per Oceanum in Sequanam deuehi iussisset, vt per eam Parisius vsque ducerentur, vna earum fluuio absorpta, nec postmodum dicitur fuisse reperta.* Ceterum ornatum interiorem ex auro, gemmis, aliâque magni pretij materiâ à S. Eligio confectum, DAGOBERTO Rege impensas præbente, in huius Vitâ exponit S. Audoenus, tunc Referendarius Regis: à quo alius est Chadoindus Referendarius, qui, teste Fredegario cap. 78 Dux exercitus Burgundionum, anno XIV regni DAGOBERTI, Christi 10 CXL I, rebelles Wascones domuit, quondam temporibus Theoderici Regis multis præliis strenuus probatus, quando paruulus adhuc erat S. Audoenus circa annum 100 natus.

Chadoindum Brunehildis post obitum Theoderici ad *Chlotharium direxit legatum*, apud eundem Fredegarium cap. 40. At sub quo Rege, aut quâ occasione præfuerit sigillo, non liquet. Præterea Ursinum, Dodone Abbate S. Dionysij, diploma DAGOBERTI obtulisse refert Dubletius pag. 670, sed alius fortè Rex substituendus. Maior fides tribuenda iis, quæ monachus S. Dionysij in Gestis DAGOBERTI testimonio suo confirmat: à quo donationes ferme dicuntur anno regni XII & sequentibus factæ: imò quæ hic cap. 17 & tribus sequentibus narrat beneficia suo monasterio præstita, ad ea tempora referenda sunt, quibus post relictos Austrasios cœperat Rex apud Parisios habitare.

Quæ recenset Labbeus in Miscellaneis curiosis cap. 3 & 4 diplomata monasterio Milebecensi apud Bituriges, & Prioratui sanctæ Crucis in siluâ Cuisiaco ac territorio urbis Compendij à DAGOBERTO indulta, suis se subscriptionibus destruunt. Dona priori monasterio collata cum DAGOBERTO *filius Chlodoueus propriâ manu auctorizat & confirmat*, idque anno ab Incarnatione Domini 100XXXII, septem scilicet annis, antequàm nasceretur. Alterum diploma ita incipit: *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego DAGOBERTVS Chlotharij iunioris Francorum Regis filius, cum post mortem patris gloriosissimè atque excellentissimè florerem.* Signant post DAGOBERTVM Regem *Flavius Archiepiscopus Remorum*, is scilicet qui anno 100XXXV Concilio Aruernensi ac dein Aurelianensi IV ante annos centum interfuerat, *Eligius Nouiomensis Episcopus*, *Amandus Traiectensium Episcopus*, quorum ille anno III post obitum DAGOBERTI ordinatus est, hic constitutus Traiectensium Episcopus. Eiusdem farinae sunt monumenta à Miræolib. 2 Donationum Belgicarum cap. 1 & 2 edita, in quorum altero DAGOBERTVS Rex prædium Wallare, siue
Wallare,

Wallare in fluâ Faniâ ad extruendum monasteriũ S. Landelino donat: in altero illud in suam protectionem suscipit S. Autbertus Episcopus Cameracensis: quæ duo diplomata rectè obseruat idem Miræus *videri aut posterioris aui manu scripta, aut saltem immutata.* Quæ publicauit Iodocus Coccius in DAGOBERTO Rege & Argētinentis Episcopatus fundatore, ea maximâ ex parte pertinere ad DAGOBERTVM II, filium S. Sigeberti, infrâ probabimus.

I X

*Obitus DAGOBERTI Regis. Chronologia stabilita.
Auctorum quorundam errores indicati.*

Bellum à DAGOBERTO anno regni XIV, Christi 10CXLI, rebellantibus *V*Vasconibus illatum, iisq̃ue clementiâ DAGOBERTI vitam indultam anno XV, Christi 10CXLII, referunt Fredegarius cap. 78, monachus S. Dionysij cap. 36 & 42, Aimoinus lib. 4 cap. 28 & 31. Qui mox capitibus sequentibus addunt, DAGOBERTVM *profluuio ventris in Spinogelo villâ super Sequanâ fluuio laborare cœpisse, exinde ad basilicam S. Dionysij à suis delatum, anno regni sui XVI exeunte, sub finem anni Chr. 10CXLIII.* Nam regno Neustriæ & Burgundiæ filio Chlodoueo tradito, eoq̃ue & Reginâ Nanthilde Maiori-Domus Ægani commendatis, ingrauescente morbo *humanis rebus exemptum esse XIV Kalendas Februarias,* obseruant in Gestis eius monachus S. Dionysij cap. 43, & Aimoinus cap. 43. Annus tum cœperat 10CXLIV, qui primus Chlodouei II numeratur: cuius regnum eo anno initum solidissimè confirmat S. Audœnus, DAGOBERTI Regis antè Referendarius. Hic indicaturus,

turus, quem non poterat non optimè meminisse, annum & diem, quo Episcopi consecrati fuerant, ipse Rotomagensis, S. Eligius Nouiomensis, in huius à se editâ Vitâ testatur, ambos se *Apostolicam benedictionem meruisse eo tempore, quo apud Gallias à cuncto populo Rogationes celebrabantur.* Tum, inquit, *conuenientes simul in ciuitate Rotomagensi decimo quarto die mensis tertij, siue Maij, anno tertio Chlodonei, iuuenuli adhuc Regis, die Dominico ante Litanias, inter cateruas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium, consecrati sumus gratis ab Episcopis pariter Episcopi, ego Rotomago, ille verò Nouiomo.* Hæc S. Audoënus. Annus ab eo indicatur Chlodouei III, Christi 10CXLVI, quo, cyclo Solis XI, litterâ Dominicali A, cyclo Lunæ I, Pascha celebratum fuit Lunâ XVIII, die IX Aprilis, & solennitas Christi in cælos adscendentis XVIII Maij, quam antecessit Dominica Rogationum, siue ante Litanias, XIV Maij. Quæ hæctenùs à nobis traditam Epocham exactè confirmant.

Iuuenulus dicitur ab Audoëno *Rex Chlodoueus*, annum ætatis agens septimum, natus, vt diximus, anno Chr. 10CXXXIX: & ita mutuus consensus auctorum, qui tum vixerunt, S. Audoëni, inquam, & Fredegarij, arctissimo vinculo Chronologiam connectit. Fredegarium sequuntur monachus S. Dionysij & Aimoinus: quorum *imprudentiâ duo regni DAGOBERTI primordia confusa esse*, non rectè arguit Petauus par. 2 Rationarij temporum lib. 4 cap. 17, dum scribit Chlodoueam natum potius esse anno XII regni Austrasiorum, vt successoribus ætas constet, quâ liberos, quorum habentur genitores, procrearint. Quæ ratio infrâ chronologiam posterorum DAGOBERTI stabiliet firmabitque. Hîc sufficit indicare, distinctissimè à Fredegario proponi à capite XLVII ad caput LV, quæ & Chlotharius & DAGOBERTVS in confor-

tem

tem regni assumptus egerunt: à quibus exactissimè secernit à capite LV ad LXXIX, quæ à morte Chlotharij fecit DAGOBERTVS. Idem in Gestis DAGOBERTI exequitur monachus S. Dionysij, dum huius, viuo patre, regni administrationē exponit à capite XII ad XV, atque inde ad caput XLIII quæ ab obitu patris gessit. Vtrumque sequitur Aimoinns, qui lib. 4. cap. 8 in regni partem à patre cooptatum DAGOBER- TVM tradit, ac post huius obitum quæ egerit à capite XIV profequitur. Et hi anno DAGOBERTI XII regni Neustriæ, ante obitum v, id est Christi 100XXXIX, exactissimè tradunt Chlodoueam natum esse, quibus ostendimus S. Audoënum, qui tum DAGOBERTI Referendarius erat, prorsus consen- tire.

Anonymus fabulator in Chronico, quod *Gesta Regum Francorum* inscribitur, omnem luxuriæ & incontinentiæ in- famiam à DAGOBERTO in *Chlodoueam* filium, maritum S. Balthildis transfert; S. *Sigebertum* & *Chlodoueam* facit fratres germanos ex eadem *Nanthilde* natos: DAGOBER TVM in *Spi- nogelo villâ mortuum esse, & regnasse annos xxxiv*, & quidem, vt antè insinuârat, *Monarcham in totis tribus regnis*, vt con- stat ex capitibus 42, 43 & 44. Verùm licet concedamus hîc annos DAGOBERTI ab inito regno Austrasiorum numerari, tamen mortem eius cogemur differre ad annum Christi 100CLIV. Simili mendâ annos eius xxv aut xxx diplomatis monasterij S. Dionysij ineptè appositos esse suprâ ostendi- mus. Iuo Carnotensis annos regni illius scribit XLIV, quasi ad annum 100CLXIV aut 100CLXXIV vixerit. Anno 100CLXV mor- tuum esse tradit Trithemius in *Historiâ Regum Franco- rum*. In fragmento historico, quod Chronico Alberti Argentinensis à Christophoro Vrsitio præfixum est, & inter scriptores Francorum ab Andrea Chesnæo recusum, ita

ita legitur: Anno Domini 10CLXXIV DAGOBERTVS Rex obiit, & filij eius duo regno substituuntur. Reginonem diximus supra, obitum eiusdem DAGOBERTI referre sub Imperatore Iustiniانو II, Rhinometo dicto, qui patri Constantino successit anno 10CLXXXV. Non ergo mirandum, si plures anni posterorum regnis eripiantur, vt tandem in Carolo Martello, Pippino & Carolo Magno annorum calculus ad legitimum ratiocinium reducatur. De reuelatione factâ cuidam seruo Dei, quâ vidit animam DAGOBERTI patrocinio Sanctorum liberatam, silet Fredegarius, agit monachus S. Dionysij cap. 45, & hunc secutus Aimoinus lib. 4 cap. 34. De nomine eius sacris Fastis alicubi adscripto infra agemus. De variis monasteriis tempore DAGOBERTI, aut eo etiam expensas conferente, per regnum eius extructis, frequens dicendi occasio est in opere nostro de Vitis Sanctorum.

X

Anni Chlodouei II filij DAGOBERTI. Chronicon Fredegarij finitum anno 10CXLVII. Historia Francorum iussu Childebrandi Comitis scripta, ab 10CLXXXVII inchoata. Defectus XL annorum in Annalibus antiquis quomodo supplendus.

Post DAGOBERTI discessum, inquit Fredegarius cap. 79, filius suus Chlodoueus sub tenerâ aetate, quinque scilicet annos natus, regnū patris adsciuit. Omnes Leudes de Neuster & Burgūdiâ eum villâ Massolaco sublimant in regnum. Æga verò cum Regina
Nan-

Nanthilde, quam DAGOBERTVS reliquerat, regebat palatium. Ægâ anno tertio post febrî extincto, Erchinoaldus, consanguineus DAGOBERTI, Maior-Domus efficitur. Anno IV in regno Burgundie Maior-Domus stabilitur Flaocatus: qui, Nanthilde Regina mortuâ, eodem anno mense Septembrio contra VVillebaldum Patricium pugnando conflixit. In eo certamine VVillebaldus interfectus est. Post cuius necem undecimo die Flaocatus, iudicio Dei percussus, febre interiit. Hæc pluribus cap. 90 Fredegarius: quo capite Chronicon finit ad annum regni Chlodouei IV, Sigeberti X, Christi IOCLVII: neque enim Chronicon ultra caput LXXX produxit, reliquis, quæ deinde subnectuntur, ab nō vnico auctore, neque eodem tempore conscriptis.

Ad hanc de Fredegario opinionem plurima nos mouent. Primò, quæ solius sunt Fredegarij, ea sola extant in *vetustissimo codice Iacobi Sirmondi Societatis Iesu uncialibus litteris exarato*, vt ante hoc Chronicon præfatur Andreas Chesnaus. Dein in eodem Chronico typis Wichelianis in Corpore historiæ Francicæ anno CIIOCLXIII cuso, ea post præfationem tantum Capitula recensentur, quæ nos solum à Fredegario conscripta arbitramur. Prætereà Aimoinus, quamuis historiam suam Francorum, vt in præfatione fateatur, *ad id temporis, quo Pippinus pater Caroli Magni regnare cepit*, decreuisset deducere, eam tamen cum Chronico Fredegarij à nobis limitato finit, sagaciter perspiciens, se fidelibus ac solidis historicis, quos sequeretur destitui. Denique Fredegarium stylus & modus scribendi ab Continuatoribus planè distinguit. Ille, vt monet in prologo, imitatus Gregorium Turonensem, per annos Regum res gestas digerit; isti annis illis omissis, maximè disparata hoc similiue modo loquendi connectunt: *igitur, quoque, hisce diebus, eodem tempore &c.* Ille procul à Galliis res ab Imperatoribus, Lango-

bardis, Hispanis aliisque gestas interserit; hi solùm quæ Frācorum sunt, nar rant, &, vt varijs fuerunt auctores, dispari stylo ac fide.

Qui vltimam partem iussu Childebrandi Comitis scripsit, *Historiam vel gesta Francorum* appellat, non, vt Fredegarius, *Chronicon*: atque ea potissimùm attingit, quæ videntur spectare ad familiam Childebrandi, qui capite cix dicitur *germanus Caroli Martelli*, & ad finem istius partis, *auunculus Pippini Regis*. Incipit autem illa pars à capite xcvi: in quo mox legitur, *mortuo Vulfoaldo Duce*, qui Maior-Domus erat, *Pippinum* Herstallum patrem Martelli successisse, quod cōtigit anno Christi 10CLXXXVII. inter quem annum & 10CXLVII. quo Chronicō Fredegarij desinere diximus, vacuum interuallum est XL annorum. Tertius ergo accessit qui *Chronicon* Fredegarij alteri historiæ, iussu Childebrandi Comitis scriptæ, annectere voluit: vtque *diagnosa* XL annorum suppleret, proximum caput xci de Chlodoueo in paucis verbis decerpit ex Gestis DAGOBERTI à monacho S. Dionysij scriptis: quibus mox deficientibus, confugit ad apocrypha Gesta Regum Francorum, quæ dum summâ incuriâ contrahit, suam in historicâ antiquitate inscitiam prodit. In illis Gestis post obitum Chlotharij III hæc cap. 45 leguntur: *Theodericus autem frater eius Rex eleuatus est Frācorum. Childericus itaque alius frater eius in Austriâ vnâ cum Vulfoaldo Duce regnum suscipere perrexit. Quæ ita in illo supplemento contracta sunt: Theodericus verò frater in Austrasiâ à Francis in regnum eleuatus est apud Vulfoaldum Ducem. En quanta vtriusque regni confusio. Sed quamuis omnia & singula verba inde accuratè forent desumpta, eandem mererentur censuram, nec digna essent, quæ ad illam lacunam explendam adhiberentur. Sunt ergo XL anni, qui neque in vllō*

ullo antiquo Chronico, neque in aliquâ veteris scriptoris historiâ per successionem Regum deductâ explanantur. Definunt ad illa tempora Fredegarius & Aimoinus. Paucula in Gestis DAGOBERTI de vltimis annis Chlodouei filij attinguntur: de S. Sigeberto & Aufrasiis altum silentium. Illo eodem hiatu absorptum est regnum Aufrasiarum DAGOBERTI II, recisi x anni Chlotharij III, plures Childerici fratris. Aliunde interuallum illud explendum est. Acta Sâctorum variorum illo eodem seculo scripta illustre supplementum conferunt, confirmant ipsorum Regum genuina diplomata, & similia veterrimorum scriptorum, quibus fides tutò adhiberi potest, sincera monumenta.

In supplemento illo cap. 92 post constitutum ab obitu Chlodouei Chlotharium III Regem, hæc adduntur: *Eodem quoque tempore mortuus est Erchanualdus Maior-Domus Palatij. Franci autem in incerto vacillantes, accepto consilio Ebrainum in huius honoris curam ac dignitatem statuunt. Quæ eisdem penè verbis in Gestis Regum Francorum habentur cap. 44 & 45. Verùm aliquot ante Regem Chlodoueam annis Erchenoaldum repentè extremum efflauisse spiritum, scribit in Vitâ S. Eligij Audoënus. Successor eius Radobertus subscripsit Maior-Domus Præcepto Chlodouei de libertate monasterij S. Dionysij x Kalendas Iulij anno regni illius xvi, Christi 100CLIX: quo aut breui defuncto, aut fortè per illam Francorum vacillationem submoto, substitutus est Ebroinus: à quo Maiore Domus, & Chlodoueo Rege punitos esse interfectores S. Aigulfi Abbatis Lirinenfis docent huius Acta antiqua, à Vincetio Barrali Salerno in Chronologiâ Lirinenfi edita. Eundem Ebroinum sub mortem Chlodouei & initium regni Chlotharij III fuisse Præfectum palatij docet auctor coæuus in Vitâ S. Bathildis Reginae verbis infra proferendis.*

Anno regni Chlodouei XVIII, Christi 10CLXI, Leodebodus Abbatem S. Aniani, & fundatorem monasterij Floriacensis laudabilis vitæ cursum sancto sine conclusisse legitur in antiquis monumentis, cum huius testamento editis à Carolo Sauffeyo lib. 4 Annal. Ecclesiæ Aurelianensis cap. I num. 14. Monachus S. Dionysij, relatis pro monasterio suo XXII Iunij anni regni XVI signatis donationum tabulis, tandem cap. 52 & ultimo scribit, *Regem Reliquias S. Dionysij minus religiosè attrectantem, in amentiam decidisse; sed quantum temporis post datum diploma ante hanc amentiam contractam interfuerit, non exponit. Post hæc addit, ut sensum Rex recuperaret, villas quasdam illi loco traditas esse, & reliquias auro, gemmisq; miro opere vestitas. Sed sensum ex aliquantulâ parte recuperantem, non autem integrè recipientem, post duos annos vitam cum regno finiuisse.* Quibus verbis finiunt Gesta DAGOBERTI Regis. Hinc in Fredegarij Chronico suppleto *Chlodoueus in extremis vitæ annis amens effectus, vitâ caruit, regnavitq; annos XVIII, quibus omnino expletis, mortuus est anno ætatis XXIV, Christi 10CLXII.*

XI

Chlothario III anni regni XIV vindicati ab anno Epochæ vulgaris 10CLXII, ad 10CLXXVI. Anni regni DAGOBERTI I confirmati.

Chlodouei II fuerunt tres filij, Chlotharius III, Childericus, & Theodericus, quos in morte eius paruulos fuisse testatur in Vitâ S. Eligij Audoënus. Horum natu maiorem Chlotharium illicò suscepisse regnum sub tutelâ S. Bathildis matris tradit

in

in huius Vitâ auctor coæuus. In huius Regis chronologiâ rectè disponendâ haud parum operæ per annos aliquot collocaui, cùm viderem annos regno eius quatuor tantum à posterioribus omnibus chronologiæ atque historiæ Francorum scriptoribus assignari; & tamen, vt plures eius regno assignentur anni, antiquorum & coæuorum testium auctoritatem clarissimam grauissimamque euincere. Nam primò *quintum* annum regiminis indicat concessum monasterio Corbeienfi diploma regium, siue, vt istic appellatur, *Præceptum*, de huius monasterij ab omnibus teloneis immunitate. Integrum legitur tomo I Conciliorum Galliæ ex peruetusto codice Virdunensi à Jacobo Sirmondo editum. Eius clausula ita habet: *Vt hac præceptio firmior habeatur, & per tempora conseruetur, nos & præcelsa genitrix nostra Domna Baldechildis, Regina maxima, nostris signaculis subter eam decernimus adfirmare. Signum gloriosi Clotharij Regis. Signum præcelsæ Baldechildis Regine. Data sub die XXIII mensis Decembris anno quinto regni nostri.* Is est annus Christi IOCLXVI.

Duo alia diplomata regni annum *sextum* exprimunt: horum alterum confecit *S. Audomarus Episcopus Teruanensis*, quo *basilicam S. Mariæ Sithiuensis* tradidit *S. Bertino Abbati* sub die XVIII Maij, VI regni Domni Chlotharij Regis. Integrum habet Iacobus Malebrancus in Scholiis ad lib. 4 de Morinis cap. 3. Eiusdem meminit in MS. Chronico Bertiniano Ioannes Iperius capitulo I parte IO, titulo de Fundatione ecclesiæ S. Mariæ: qui dein titulo de Concambio quarumdam terrarum inter SS. Bertinum & Mommolenum tunc Episcopum Nouiomensem, aliud diploma allegat hoc exordio: *Dum & nos Dominus in folio Patrum &c.* hac verò clausulâ, *Actum sub die Kalend. Februar. anno VI regni nostri.* Iperius, quòd regno Chlotharij anni quatuor tantum

passim

passim tribuerentur, addit, *hac duo priuilegia data fuisse anno sextaregni Chlotharij: sigillum enim regium nec fallere nec falli.* Vbi clarè innuit se primigenia diplomata ac sigillum regium coràm inspexisse, & diligenter examinasse.

Septimum regno annum assignat Bertefridus Episcopus Ambianēsis tomo I Conciliorum Galliaē, vbi concedit *monasterio Corbeienſi* priuilegium libertatis à plurimis Episcopis subscriptum *sub die VII Idus Septembris anno VII, regnante Chlothario Rege.* Ex Actis S. Wandregifili eundem VII annum Chlotharij mox communiemus.

Statutos haftenùs Chlotharij annos præclarè promouet Ursinus in Vitâ S. Leodegarij Episcopi Augustodunensis, quam iubente Ansoaldo Pictauiorum Episcopo, & vrgente Audolpho Abbate S. Maxentij, qui ambo viuente adhuc S. Leodegario, eum dignitatis gradum obtinuerant, ipse eruditissimo vir iudicio conscripsit. Vitam illam elimato nonnihil stylo, vt præfatur, edidit Surius II Octobris, atque ex illo Chesnæus tomo I Historiæ Francorum. Nos eandem primogenio stylo ex quatuor optimæ fidei codicibus MSS. nacti, huc paucula conferimus. Ita ergo scribit: *Cùm quidam Pater ex monasterio, quod est situm in honore S. Maxentij, obisset, iussu Pontificis Pictauiorum Didonis, anunculi sui, idem suscepit Leodegarius regendum, quod per sex ferè annos strenuè rexit, illudq; magnis opibus dilatauit. Sed cùm iuxta suum Pontificem idoneum se preparasset, & clarus haberetur præ omnibus, odor eiusdem suauitatis intantum processit, vt vsque ad palatium Regis redoleret. Erat enim eodem tempore minor Chlotharius cum Baldhilde matre Rex, Francorum regens regnum, qui agnitâ eius prudentiâ, cupientes eum secum habere in aulâ regiâ, petierunt Pontificem, vt habitâ ipsius licentiâ, cùm ipsis esset in palatio. Qui statim iussa complens, magnis rebus ditatum, & sapientiæ floribus adornatum, obtempe-*
rans

rans eorum voluntati, destinavit ad palatium, quem Rex atque Regina videntes, honorificè susceperunt. Qui in paucis diebus tantam dulcia sua verba & bonitatem ostendit intantum, ut Rex simul atque Regina & plerique Pontifices ac Proceres supra omnes eum in amorem susciperent. Et quia eum videbant dignum ad suscipiendum honorem, cunctorum consensu, præcipuè Francorum, ad honorem Pontificalem eum esse idoneum proclamarunt. Quem ad hoc electum omnes Augustiduno, quæ est Æduorum civitas, fecerunt Pontificem. Quam cum per annos decem strenuè gubernaret, eodem tempore Rex Chlotharius, qui eum Episcopum constituerat, defunctus est. Hæc Vrsinus, ex quatuor, ut diximus, præclaris codicibus MSS. cum summo assensu in decem annis assignatis, quos Surius ita expressit: Quo munere Episcopali decem annis strenuè cum functus esset, Chlotharius Rex, qui eum promouerat, excessit è viuis: iam pridem ante hos Episcopatus illius decem annos Rex erat Chlotharius, cum S. Leodegarius & Abbas esset S. Maxentij, & deinde in aulâ degeret, eò ab ipso Chlothario euocatus. Hoc indicat odor boni nominis ex Aquitaniâ vsque ad Regis palatium redolentis. Hoc exigit etiam perfecta eius in aulâ viuendi ratio, quâ ipse ex Aquitaniâ accersitus, Procerum animos sibi tantopere conciliârat.

Quæ simul cum Chlothario aduocârat S. Leodegarium Bathildis mater, eadem inter regni administrationem anno regni illius VII vnâ contulit priuilegium, quod à Bertefrido Episcopo concessum fuisse monasterio Corbeiensi supra monuimus. Ceterum, ut Acta MSS. S. Bertilæ Abbatissæ Kalensis, danda IV Nouembris, tradunt, S. Bathildis Regina monasterium Kalense puellarum construxerat, quatenus cum ad legitimam ætatem filius suus Dominus Chlotharius peruenisset, & regnum sibi commissum per semetipsum regere potuisset, tunc ipsa, re-

H

lietâ

licitâ curâ regali, sub religionis ordine in prædictum ingrederetur monasterium. Quod executâ est Chlothario filio adulto, cum consensu Optimatum suorum, & in monasterio supradicto sub obedientiâ Bertila se abdidit Abbatissa. Verùm, vt in ipsius Bathildis Vitâ legitur, Primores & Proceres Francorum, vt cœnobialem vitam in monasterio duceret, differebant, quia eius sapientiâ palatium regebatur, & pro sanctâ suâ conuersatione ab omnibus amabatur. Iam verò se ad legitimam ætatem peruenisse anno regni sui xiv, tum annos xvii natum agnoscit S. Sigebertus Rex Austrasiorum patruus Chlotharij, in secundo diplomate donationum monasterio Stabulao & Malmundario factarum, à nobis ad Kalendas Februarias edito pag. 235: vt vel simili ætate adultus Chlotharius, matre in monasterium profectâ, regnum videatur solus administrasse; assumptâque dein maiore viuendi licentiâ, thori sociam, siue illicito concubitu, seu potiùs legitimo coniugio, adsciuerit. Nam à morte eius, fratrisque Childerici, Ebroinus eiusque affeclæ, quemdam Chlodouicum paruulum, quem Chlotharij fuisse consinxerunt filium, in partibus Austri secum leuarunt in regnum, vti infrâ constabit ex alterâ S. Leodegarij Vitâ, Ermenario, eius in Episcopatu Augustodunensi successori, inscriptâ, editâque tomo 1. Historiæ Francorum Andree Chesnæi.

Adultam hanc Chlotharij ætatem præclarè confirmat S. Drauscus, siue Drauscio, Episcopus Sueffionensis, qui memorato antè priuilegio Bertefridi Episcopi anno vii Chlotharij indulto subscripsit. Hic aliud priuilegiû, quod instar epistolæ inscripsit Bertefrido aliisque Episcopis, concessit monasterio B. Mariæ, potissimùm à Lentrude vxore Ebroini fundato, editum anno c i o i o c x x x i i i à Melchioro Reginaldo in Epitome historicâ vrbis Sueffionis, fol. 2 Probationum

num, cuius hæc est clausula: *Actum Augustæ Sueffionum, sub datâ sexti Kalend. Iulij anno decimo quarto regni Domini nostri Chlotharij gloriosissimi Regis. Idem Chlotharius, vt legitur in Vitâ S. Wandregifili Abbatis, fastigium regni post patrem Chlodoueu adeptus, rexit populum Occidentalium Francorum annis quatuordecim. Ibidem in expositione eorum, quæ S. Bathildæ prædixerat S. Wandregifilus, additur: Chlotharius maior natu quartum decimum regni agens annum, consortiis subito caruit humanis. Childericus temerè ab insidiatoribus interemptus, à presenti sublatus est vitâ. Tertius Theodericus matri superstes, regni suscepit gubernacula. Quo regnante auctor Vitam illam inscripsit S. Lantberto eius successori, tunc Archiepiscopo Lugdunensi. Annos regiminis S. Wandregifili infra probamus numerari à die Kalend. Martiarum anni Chlodouei Regis XI, Christi 10CLIV, quo monasterium Fontanellense construi cœpit. Hinc consensus annorum Chlotharij cum epochâ Christi vulgari confirmatur. Nam S. Vandregifilus, vt in eius Vitâ legitur, anno regiminis sui XV, adiit Chlotharium anno regni eius VII, & priuilegium regia confirmationis super arê cænobij sui liberalissimâ datione accepit: ergo anno Christi 10CLXVIII aut initio sequentis. Expleuit S. Vandregifilus annos regiminis XIX, menses IV, dies XXI, mortuus XXII Iulij, seu XI Kalendas Augusti, ergo anno Christi 10CLXXIII, qui annus XII regni Chlotharij statuitur in eius Vitâ. Annos ergo XIV regni Chlotharij ab anno Christi 10CLXII cœptos, finimus cum anno 10CLXXV aut initio sequentis 10CLXXVI, quo primùm Theodericus, tum hoc pulso Childericus successerunt, ambo adultâ iam ætate, Childericus etiam ductâ ab aliquot annis in vxorem Bilichilde, matrimonio coniunctus. Secundùm hunc calculum nostrum à XIX Ianuarij anni 10CLXLIV, quo demonstrauius DAGOBERTVM decessisse, ad*

initium anni 10CLXXVI, siue obitum Chlotharij III, est interuallum annorum XXXII, è quibus annos octodecim Chlodoueo II, & quatuordecim Chlothario III cum auctoribus coauiis aut certè illorum ætati vicinioribus vindicamus. Baronius obitum DAGOBERGIS coniecit in annum 10CXLVII, Chlodouei II in 10CLXIV, post quem quarto anno statuit Chlotharium puerum anno 10CLXVIII vitâ functum esse. At viri quidam eruditi volunt hunc regnasse ab anno 10CLIX, ad 10CLXIV, assignatis regno Chlodouei solùm XVI, & Chlotharij IV annis. Præiuit fabulator celebris in Gestis Regum Francorum, cap. 45. *In his diebus, inquit, Chlotharius Rex puer obiit, regnavitq, annis quatuor.* Sed qui eius scriptoris sequi auctoritatem tutò se arbitrantur, an cum eo XXXIV annos tribuent Dagoberto?

